


APPROBATIO.

Ego Sebastianvs Nvcerinvs Ecclesiæ Cathedralis Cracouien: Concionator Ordinarius, Librorum in Diœcesi Cracouien: Censor, fidem facio, quia libellum dictum: *Exercitia Spiritualia Studiosorum Oratorij Pietatis Academici*; prælo in lucem edi concessi. Dat: Crac: 14. Martij, A. D. 1632.

PP. Eremi Camald. in Insula Vigrensi

IN STEMMA
ALMÆ ACAD: CRAC.



Sarmatici proceres Regni, Regesq́; Lycæo
Augusto Vrbe Craci SCEPTRA *dedêre* DVO.
Quid duplicata volunt hæc SCEPTRA? *lo-*
cupletat istud
Rempublicam ingenijs; hoc pietate fouet.

AD NOBILISSIMAM IVVENTVTEM ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS.

MAgnum quoddam diuinitùs ad homines deduxit bonum, IVVENES Nobilissimi, qui literarum sollicitudinem, cum rerum cælestium industria, nexu perpetuo deuinxit. Steriles enim necesse est literarum profectus esse, nimis tarda incrementa, nisi supernæ benignitatis afflatu fæcundẽtur. Palladem Iouis filiam, Musas Deorum alumnas finxit antiquitas, vt ad populum fabulosè, ita ad veritatem proximè. Hebetes nãq; istæ, & inertis culturæ erunt, nisi vicaria Dei immortalis ope excitentur & confirmentur. Hanc itaq; supremi numinis beneficentiam, istud Quotidianum Pietatis Exercitium, paucis multa comprehendens, vobis submi-

niſtrabit, vt non ſolùm ſine offenſione vitæ mortalis curſum traducatis, ſed etiam laudandarum artium, atq; optimarum virtutum ſegetem vberrimam, ad publicos Eccleſiæ & patriæ vſus ampliſſimè referatis. Quod idcircò Vobis offerimus, quia Veſtram frequentiam, feruorem, & ſpiritus profectum in Oratorio, indies cum magna Dei gloria creſcere aduertimus. Veſtrum eſt, hoc vnicum pia anxietate prouidere, vt ne aliquod negotium aggrediamini, priusquam inchoandi operis euentum fœlicem ſupernè imploretis, & quaſi comitem veſtri laboris Sereniſſimã Dei Matrem, Patronoſq; cæleſtes depoſcatis. Et cùm pietatis magiſtra prima natura ſit, cuius initia ab indole inclyta accepiſtis; eam conuerſatione optima, & ſancta ad probitatem aſſuefactione promouere ſtudeatis. Valete.

Addictiſſimi Vobis,

FF. Carmelitæ Diſcalceati,
Conuentus Cracouien;
SS. Michaëlis & Ioſeph.

EXERCITIA SPIRITVALIA Oratorij Pietatis Academici.

CAPVT I.

Quid manè Nobilissimis DD. Studiosis, cæterisq; Spiritualibus viris sit agendum?

PVNCTVM PRIMVM.

PRocurent omnes à somno excitati, facto Crucis signo, seclusis omnibus alijs vanis curis, & minùs necessarijs cogitationibus, statim se suasque omnes illius diei actiones & negotia, Deo & B. M. V. voluntariè, cum maximo affectu sacrificare & offerre, his aut similibus, saltē mente conceptis verbis:

Clementissime Deus, cui per omnia placere cupio. Ego N. surgo, vt te laudem, tibi seruiam, tuum beneplacitum exequar. Quocirca meipsum totū, cogitationes, verba, operaq; omnia

vitæ totius, peculiariter verò huius diei, ad tuam gloriam offero: firmiterq́; statuo, à culpis omnibus cauere, bonisq́; operibus Diuinâ gratiâ constanter insistere. Precor te igitur quàm maximè possum, vt me hac die in omnibus dirigere & tueri digneris: cui etiam statum vitæ meæ supplex commendo, tuamq́; voluntatem per omnia hoc die exequi firmissimè statuo. Quod si aliquid inter agendum, loquendum, aut cogitandum, præter mentem meam irrepserit, quod tibi displiceat; illud non accepto.

Tibi quoq; dilectissima Mater Dei Virgo Maria, totius vitæ meæ, particulariter verò huius diei necessitates, cum maxima animi submissione commendo.

Vel sic paulò copiosiùs: *Altissime Domine Deus meus, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, summum bonum, infinitè amabile, principium & finis meus, in quo vera mea fælicitas consistit: ego N. me totum in æternum, specialiter verò hoc die tibi offero; omnesq́; meas cogitationes, verba, & opera, vnà cum* IESV *Christo Domino nostro, Sanctissima Virgine Maria, vniuersis beatis Spiritibus, ac Sanctis qui in cælo, ac iustis qui vbiq; existunt, (quos omnes mihi arctissimè vnio) in honorem & gloriã Diuinæ maiestatis tuæ dirigo, tibiq́; sine alio*

sine alio intuitu, per illa omnia placere impensissimè cupio; ac opto, vltra ea quæ recensui, innumera millia perfectissimorum cordium, quæ simul cum eis ab æterno tibi placuissent, & platura in æternum fuissent, per affectum ad me attrahere, vt me tibi cõsecrem, sicut verè te mihi consecro: omniaq; hoc desiderio intra me concepta, tibi ad singulos halitus offero, in hostiam pro peccatis expiandis; in hostiam gratiarum actionis, ad gratiam pro beneficijs vniuersalibus & particularibus referendam; in hostiam pacificam pro bonis omnibus, quibus egeo, vsq; ad beatitudinis adeptionem impetrandis: in holocaustum, ad vnionem cordis tecum ineundam, & Diuinam Maiestatem tuam protestandam. Supplico infinitæ sapientiæ & bonitati tuæ, quatenus me in seruitio tuo dirigere, & ab inimicis animæ defendere digneris, vt in omnibus & per omnia, sine minima tui offensione tibi placeam.

Eisdem quatuor modis, actus, cogitatus, & verba singula, cum illis cordium millibus, quadruplo merito aucta, in Deum referri debent. Sed post Deum, sic ad Beatissimam Virginem, cui quaternæ hostiæ illæ non congruunt, eò quod latriæ cultus soli Deo sit reddendus, directio concipienda est:

 Simi-

Similiter me tibi, Beatissima Virgo, Regina cœli Serenissima, cum omnibus meis cogitationibus, dictis, & factis, particulari tibi seruiendi desiderio offero, meq; per totam vitam. sed hodierna die peculiariter, & vniuersa corda illa, quæ recensui (quoad licet) quàm latissimè possum, in laudem tuam dirigo, & tibi per omnia illa placere summoperè cupio. Te oro supplex, Domina mea Clementissima, vt me in seruitio & gloria tua dirigere, ac protegere digneris.

Potest adhuc fusiùs ista Directio matutina extendi, iuxta spiritum vniuscuiusque, hoc pacto: *Tibi Clementissime Domine Deus meus, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, quia me creásti, propter te, & propter multos alios intuitus, mei totius tributum persoluere debeo. Iam inde vsq; ab hoc momento, affectu quàm possum vehementissimo, Diuinæ tuæ Maiestati omnes totius vitæ meæ cogitationes, verba, & opera offero; ac præsertim ea, quæ hodie cogitaturus, locuturus, & facturus sum, eaq; IESV Christi Domini nostri, Beatissimæ Virginis Mariæ, omniumq; spirituum Beatorum, & hominum Sanctorum, qui hactenus fuerunt, modo sunt, & posteà erunt, cogitationibus, verbis, & operibus vnita. Vtinam præter ea quæ creasti, infinita alia haberem corda, quæ*

da, quæ ab æterno fuissent, & in æternum perdurassent; quæ & te cognoscerent, & infinita quadam perfectione amarent; aliudq; præterea nihil agerent. Adeò vt intentio mea sit, ad singulas cogitationes, verba, & opera quæ faciam, imò verò quoties respirabo, omnem hanc actuum, & cordium Diuinæ Maiestati tuæ gratorum multitudinem, meo affectu congregare. Quod & modò facio, & post faciam; idq; puritate quàm possum maxima, sine vllo præmij vel pœnæ respectu, sed duntaxat tui vnius causa. Et quoniam ob quatuor præcipuè tibi sum capita obligatus; omnes has oblationes tibi Domine offero: in hostiam pro peccato, quò tibi satisfaciam, teq; placem: in hostiam laudis & gratiarum actionis, quò beneficiorum tàm generalium quàm particularium sim gratus: in hostiam pacificam ex voto, vt quicquid mihi opus fuerit impetrem, donec te aliquãdo fruar: deniq; in holocaustũ, quò tuam Diuinitatem protester, & cor meũ cũ illa vniã. Obsecro te per viscera misericordiæ tuæ, vt has oblationes meas digneris acceptare, hodieq; meipsum ab omni peccato, quantumuis minimo liberare; mihiq; concedas, vt nulli creaturæ cordis mei partem applicem, sed totus & in omnibus tibi viuam.

Offero quoq; tibi affectu quàm possum maxi-

mo, Beatiſſima Virgo, (cui meipſum totum poſt Filium tuum dilectiſſimum inprimis debeo) omnes cogitationes, verba, & opera mea, necnon multitudinem illam cordium ad honorem tuum, cum plena tibi placendi in illorum ſingulis voluntate & intentione; nullam vt propterea aliam mercedem velim, quàm vt puriſſimæ animæ tuæ voluntati ſatisfaciam. Obſecro te Regina Sereniſſima, quatenus hodie mihi adeſſe & auxiliari digneris, vt tua interceſſione, diem hunc in magna vitæ puritate, qualis tua fuit dum vixiſti, traducere queam.

Has Directiones, ad Clemẽtiſſimum Deum, & Beatiſſimam Virginem deſtinatas, non tantùm manè, ſed etiam toto decurſu diei, ſaltem mentaliter, aliquoties in die, iuxta conſilium Confeſſarij, pro ratione negotiorum, & ſtatus vniuſcuiuſque, ſinguli renouare & applicare poterunt; omnia exercitia in oblationẽ Deo ſacrificando, vt actiones ipſorum ſint magis meritoriæ, & Sãctiſſimæ Virgini gratiores: quæ poſt aliquot tranſactum tempus celerrimè fient. Initio tamen, & mane præſertim, attentiùs & expreſſiùs pro toto die concipiendæ ſunt,

& im-

& impensissimo affectu producendæ, vt cordi altiùs imprimantur.

Est hoc magni momenti documentũ, nõ solùm perfectis, sed etiã mediocriter pijs Christianis competens; qui satagere debent, vt cordium suorũ primitias Domino Deo consecrent. Ita vt primum omniũ, quod simul ac euigilauerint quęrere debeant, sit DEVS: brachia desideriorũ ad eũ corde apprehendendũ extendentes; instar itinerantium, qui gemmas & pecunias per viã latronibus infestam portant: ij enim statim ac expergiscuntur, manus extendunt, vt thesaurum (stimulati sollicitudine, eumque perdendi timore) apprehendant. Volentibus igitur Sacrificium matutinum Maiestati Diuinæ gratissimum offerre, in hoc elaborandum est, ne breuissimo illo, quo cor sursum eleuant tempore, locũ dent mundanis cogitationibus: sed enitantur, vt animam ipsorũ occupet IESVS Christus Dominus noster, tanquam thalami patronus: diligenter animaduertendo; Dæmonem, qui imaginationi varias & nociuas cogitationes ingerit, in huius

habitaculi præoccupatione studere, ne Deus à rationalibus creaturis, primitijs ipsi debitis honoretur.

Est hoc punctũ valdè vtile, Deoq; gratissimũ. Vtile quidẽ; quia cùm omnes fermè nostræ actiones sint intra naturæ limites constitutæ; ac vt tales, nõ sint vitæ æternæ meritoriæ: fit vt prædictæ Directionis accessu & praxi, reddantur eo pacto meritoriæ: Deo autẽ gratissimũ est; quia primitiæ actionũ omniũ ipsi, vnâ cum spiritus medulla offeruntur. Virgini præterea Sanctissimæ est hæc oblatio acceptissima: prout nostræ Matri S. Teresiæ fuit diuinitùs ostensum, hoc ipsa attestante libro 3. vitæ suæ. Quippè cùm Monasterij cuiusdam Priorissam ageret, primò omnium, in ipso obeundi muneris ingressu, se & Cænobiũ totum Beatissimæ Virgini deuouit, ac in eum finem imaginem illius in Cathedra Priorali collocauit, eiq; Monasterij claues, simul cum regimine obtulit, velut Superiori, cuius ipsa Vicaria foret. Quod sibi pergratum fuisse ostendit Deipara: nam Vigilia S. Sebastiani, visibili specie, in

locum imaginis ſuæ ſe Diua Virgo ſubſtituit, totiuſq; domus illius gubernacula ſe ſuſcipere declarauit.

Prædictæ oblationes quoad ſubſtantiã faciendæ ſunt, etſi paucioribus verbis, quoties opus aliquod inchoandum eſt: quale erit; *Oratio*, *Miſſæ auditio*, *Studiorum tractatio*, *&c.* & tunc ſufficiet hoc totum facere mentaliter.

Verùm notãdũ eſt; intereà cùm hoc directè fit, rerum occurrentium proprietati eſſe attendendum; adeò vt vnà cum oblatione, formalitas quædam apponatur, quæ rei agendæ proportionata ſit; prout ex ſequentibus capitibus clariùs apparebit: v. g. Si ad cibum corporalem ſumendum abeant, ſic dicant: *Vado Domine, vt corpori huic debitum alimentum miniſtrem; non quidem propter delectationem aliquam capiendam, ſed vt tibi meliùs ſeruiam. Tribue quæſo, vt temperantiæ limites nõ excedã.*

Hoc exemplum oſtendit, quid in omnibus rebus ad corpus ſpectantibus faciendum ſit.

Sed in merè ſpiritualibus, petitio hæc fieri debet, prout res quælibet expoſcit.

Verbi

Verbi gratia; in facienda oratione, pręter communem oblationem, ſic dicendum eſt : *Clementiſſime Deus, te laudare deſidero. Da mihi cor tuum, & Beatiſſimæ Virginis, quod te magnificare totum intendat, vt te dignè honorare, & fructum, quem hoc actu Diuina tua Maieſtas intendit, haurire poſſim.* Atq; hoc exemplum, in omnibus alijs rebus Spiritualibus, ſeruata proportione vſui erit.

PVNCTVM SECVNDVM.

SPecialem ſibi manè proponant virtutem, vel opus pium, in quo ſe toto decurſu illius diei exercere ſatagant.

TERTIVM. Peculiare ſibi peccatum ob oculos ponant, quod præcauere enitantur : ſic enim cum hoſte præcognito viriliùs confligent.

QVARTVM. Infinitas gratias rependant Domino Deo, quòd nocte præterita eos à tot periculis liberauerit.

QVINTVM. Perbreue inſtituant Conſcientiæ examen; an aliquod commiſerint per noctem peccatum, pro quo delendo veniam à Deo petant : proponendo, ſe proxima occaſione in Confeſſione illud expiaturos. SE-

SEXTVM. Benedictionem à Deipara postulent, salutando illam, vel dicendo: *Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria. Amē.*

SEPTIMVM. Angelo Custodi gratias agant, quòd eos præterita nocte, à tot Dæmonum illusionibus defenderit; ad eumq; consuetam illam Orationem dirigent.

ANGELE Dei, qui custos es mei, me tibi cōmissum pietate superna, hodie illumina, custodi, rege, & guberna. Amē.

Poterunt etiam hanc oratiunculam addere:

IN nomine Domini nostri IESV Christi Crucifixi surgo; ille me benedicat, regat, custodiat, & ad vitā perducat æternam. Et Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.

CAPVT II.

Quid agendum corpus vestiendo?

NOn solent, nec deberent vnquam famuli Dei, quoad per fragilitatem liceret,

liceret, opus aliquod inchoare, quin illud dirigant ad gloriam Maiestatis Diuinæ, auxiliũq; pro pia & perfecta eiusdem executione implorent. Quare non erit abs re, certas quasdam Directionum formulas (actibus qui fiunt accommodatas) in hoc & nonnullis alijs capitibus proponere, vt ex his spiritualis homo, alias sibi particulares, conformes prædictis parare possit, & intelligat, quanam ratione actibus externis, internos apposité conciliare valeat; attendendo ad directionem matutinam, directionibus particularibus pro quouis negocio accommodandam, operibusq; conuenientem: ita vt quodcunq; negotium sit instituendum, serui Dei, directionis mane factæ recordentur, cor ad Deum Opt: Max: & Beatissimam Virginem eleuent, ijsq; seruire, & eos hoc opere, in vnione omnium creaturarum, quæ sunt in statu gratiæ in cœlo & in terra, glorificare statuãt, & deinde huic directioni proprios actus adiungant. Qui ergo cum spiritu & perfectione se vestire desiderant; curabunt, vt cum omni pudore & castitate

se quàm

ſe quàm citiſſimè induant, nec in veſtibus petulantē arrogantiam, aut faſtum ſupra ſuum ſtatum exquirant. Diſplicet equidem Deo ſollicitudo nimia eorum, qui toto tempore matutino, in capillis calamiſtrandis, in veſtibus expurgandis, in fronte & vultu artificiali colore depingendo, in manibus niueo colori aſſimilandis, hiſq; ſimilibus immorantur. Vnde vanitate & mundana curioſitate relicta, famuli Dei, inter veſtiendū cor ad Deum erigent, ſtolæ primæ & candidæ, id eſt bonæ conſcientiæ deſideria emittent, hacque vtentur directione:

Altiſsime Deus meus, in ſeruitium tuæ Diuinæ Maieſtatis me veſtio; cedat hic actus ad gloriam tuam, & me precioſiſsima veſte nuptiali gratiæ indue. Idem à te Beatiſsima Virgo, & Regina cœli peto.

CAPVT III.

Quid agendum Sacrum audiendo, & orando vocaliter?

POſtquam ſe veſtierint, domi paululū orationi ſe dabunt, ſi Eccleſiam cōmodè

modè adire non poſſint; inuocando Spiritus ſancti gratiam, per Antiphonam:

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte ſpiritum tuũ & creabuntur.

℟. Et renouabis faciem terræ.

OREMVS.

DEvs qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti; da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Addere poterunt:

VEni creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita:
Imple ſupernâ gratiâ,
Quæ tu creâſti pectora.
Qui paraclitus diceris,
Donum Dei Altiſſimi:
Fons viuus, ignis, charitas,
Et ſpiritalis vnctio.
Tu ſeptiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus:
Tu ritè promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus: In-

Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longiùs,
Pacemq; dones protinus:
Ductore sic te præuio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium:
Te vtriusq; Spiritum,
Credamus omni tempore.
Gloria Patri Domino,
Natoq;, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

EMitte Domine sapientiam, de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret; vt sciam, quid acceptum sit coram te omni tempore.

IMple me Spiritu tuo Misericordissime DEVS, vt nihil cogitem, loquar, vel agam hoc die, nisi quod tibi sit acceptũ, & cedat ad nominis tui gloriam, & ad animæ meæ vel proximorum salutem.

SPiritus S. Deus, illumina me in tenebris, in afflictionibus cõsolare, in tẽtationibus adiuua, in virtutibus promoue, & aduersus vitia defende. *Sub-*

Subiungent quoq; si libuerit:

DOMINE Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos peruenire fecisti; tua nos hodie salua virtute: vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

His addent:

DIrigere & sanctificare, regere & gubernare dignare Domine Deus, Rex cœli & terræ, hodie corda & corpora nostra; sensus, sermones, & actus nostros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum: vt hîc & in æternum, te auxiliante, salui & liberi esse mereamur; Saluator mundi, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Deuotè quoq; recitare poterunt:

O Domina mea Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie & quotidie, & in hora exitus mei, &

mei, & animam meam, & corpus meum tibi commendo; omnem ſpem meam & conſolationem meam, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo: vt per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua ſancta merita, omnia mea dirigantur & diſponantur opera, ſecundùm tuam tuique filij voluntatem, & meam neceſſitatem. Amen.

AVe maris ſtella, Dei mater alma:
Atque ſemper Virgo, Fælix cœli porta.
Sumens illud Aue, Gabrielis ore:
Funda nos in pace, Mutans Euæ nomen.
Solue vincla reis, Profer lumen cæcis:
Mala noſtra pelle, Bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe matrem, Sumat per te preces:
Qui pro nobis natus, Tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis, Inter omnes mitis:
Nos culpis ſolutos, Mites fac & caſtos.
Vitam præſta puram, Iter para tutum:
Vt videntes Ieſum, Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri, Summo Chriſto decus:
Spiritui ſancto, Tribus honor vnus. Amen.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis

corporis ſanitate gaudere, & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à pręſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Maria mater gratiæ,
Mater miſericordiæ:
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.

Dignare Domine die iſto,
Sine peccato nos cuſtodire.
Miſerere noſtri Domine,
Miſerere noſtri.
Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos,
Quemadmodùm ſperauimus in te.

Imò & Patrono menſis commendare ſe procurabunt, modo inferiùs aſſignando.

Dum autem ſpeciales orationes fundere volunt, hoc modo eas offerent:

C*Lementiſſime Domine, Tuq; Beatiſſima Virgo & Domina mea, ad gloriam Domini Dei, tuamq;* Coronam, Roſarium, Officiũ, &c. *legere, tibiq; laudes debitas perſoluere cupio. Tibi Domine Deus & puriſſima Virgo ſupplico, vt opus inchoandum perfectè, & Angeli inſtar abſoluam,*

absoluam, ac Maiestati Diuinæ, tibiq; Sanctissima Deipara placeam. Aliás protestor firmiter, me nullas distractiones menti meæ occurrentes, deliberatè admittere velle. Absolutâ hac directione, ad verba attendent, & si ea intelligunt, maximæ deuotionis loco habeant, eorum affectum in se excitare; ad Maiestatem Diuinam mentem attentam dirigendo, producendoq; aliquot actus Amoris, Fidei, Spei, aliosq; similes. Si verò sensum verborum non intelligant, ad Dominum Deum, qui præsens est vbique, aliquot virtutum actus exercendo, summa cum reuerentia, & desiderio ipsi placendi, cogitationẽ dirigẽt.

Ante omnia verò, non obliuiscantur singulis diebus, pro quinq; necessitatibus eorũ, qui sunt in CONSORTIO SPIRITVALI, prout ibidẽ assignantur, dicere quinquies; *Aue Maria, &c.* & vnum; *Salue Regina mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue. Ad te clamamus exules filij Euæ. Ad te suspiramus, gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Et* IESVM *benedictum fructum ventris tui, nobis post*

hoc exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.

℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMVS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis matris Mariæ corpus & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparâsti: da vt cuius commemoratione lętamur, eius pia intercessione, ab instantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Diuinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.

Perficient Orationes cum Antiph.

SVb tuum præsidium confugimus, Sancta Dei genitrix; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis, libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta.

Si autem commodè fieri poterit; Ecclesiam cum silentio & modestia inuisent, prædictasq; Orationes deuotè recitabunt.

citabunt. Diebus etiam ferialibus, quo-
ad fieri poterit, Sacrum attentè audient:
vbi coram SS. Sacramento, cui facient
reuerentiam quàm humillimè, & quàm
deuotissimè, actus Fidei firmissimos eli-
cient: se omninò credere; *Verum Corpus
& Sanguinem Christi, sub speciebus panis &
vini, in sacrificio Missæ* DEO *offerri*; pro
peccatis suis interpellando, gratias pro
beneficijs acceptis reddendo, alios Deo
commendando, tam viuos quàm defun-
ctos: perseuerantiam in bonis operibus
impetrando, honorem Diuinæ Maiestà-
ti deferendo.

*Ad introitum verò templi, genibus flexis, eidem
SS. Eucharistiæ Sacramento facient reuerenti-
am, dicendo:* EGO infælix atque miser
peccator, & indignus Christianus, flecto
genua mea ante Dominum & Saluató-
rem meum, qui me creauit, preciosissi-
mo sanguine suo redemit, sustinet, &
conseruat, quiq; veritas ac vita, in æter-
num permanet.

A*Ve verum Corpus, natum Ex Maria Virgine.
Verè passum, immolatū, In cruce ꝓ homine.
Cuius latus perforatum, Vndâ fluxit & sanguine.*

Esto nobis prægustatum, In mortis examine.
O clemens, ô pie, ô Iesu Fili Mariæ, miserere nostri. Amen.

Poterunt autem ante Sacrum hanc Directionem præmittere:

ALtißime IESV *Christe, ego te hîc laudare, tibiq; pro viribus meis satisfacere peropto: omnes proinde ad hanc laudem creaturas, & mundos alios innumeros, qui creari possunt conuoco; vniendo mihi affectus Angelorum & Sanctorum omnium in cœlo & in terra, imò tuum quoq; Diuinißimum pectus, vt tibi dignè & debitè cultum omnem exhibeam. Da mihi Domine* IESV *cor, quod te magnificare totum intendat; necnon fructum, quem hoc actu Diuina tua Maiestas exposcit, vt sacrificio huic dignitatis infinitæ, vigilanter digneq; intersim, ac fructus eiusdem particeps fiam.*

Te quoq; Augustißima Regina cœli obsecro, id mihi à Filio tuo impetres, vt ei peculiariter hoc actu placeam.

Post Preces & deuotionem peractam, subiungent:

BOne IESV, propitius esto mihi peccatori. Ego indignissimus, tepidum & distra-

& distractum seruitium meum, commendo mellifluo cordi tuo emendandũ & perficiendum; tibiq; ipſum offero, ad ſalutem omnium, in vnione illius perfectiſſimæ attentionis, quâ Patrem orâſti & laudâſti in terris. Reſponde quæſo, ſatisfac, & ſupple pro me pleniſſimè. Amen.

SVſcipe Clementiſſime Deus, precibus & meritis Beatiſſimæ Mariæ ſemper Virginis, Genitricis tuæ, & omnium Sãctorum & Sanctarum, officium ſeruitutis noſtræ: & ſi quid dignum laude egimus, propitius reſpice; & quod negligenter actum eſt, clementer ignoſce. Qui in Trinitate perfecta viuis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorũ. Amẽ.

Concludent deniq; ſuam deuotionem hac Oratione, pro loco & ſtatu vitæ, iuxta beneplacitum Dei eligendo deſeruiente.

DOmine Deus æterne, qui corda diſponis, gubernas, & moderaris; inuoco paternam pietatem tuam, & precor, vt locum ac ſtatum talem mihi prouideas, vbi congruenter, ad tuam gloriam, & meam ſalutem, tibi valeam famulari. Per Dominum, &c.

CAPVT IV.

De modo orandi mentaliter, & præsertim Passionem Dominicam meditandi.

MOdus orandi hic erit. Præparatione facta, quæ in consideratione Maiestatis & Bonitatis Diuinæ, propriæque humilitatis & malitiæ recognitione consistit, affectus reuerentiæ & amoris erga Deum, contemptus verò & confusionis erga seipsum excitandi erũt; actus aliquot contritionis de suis peccatis in genere exercendo, demum instar Publicani, cum profundissima sui demissione, misericordiæque Dei imploratione, ad orationem se accingendo.

Porrò hoc modo directio fieri potest: DOMINE *mi Altissime, infinitæ magnitudinis; mihi vilissimæ creaturæ tecum negotiandum est: ego Diuinam Maiestatem tuam adoro, ac me velut creaturam cõtemptu infinito dignam, quia te offendi, coram te fateor. Deinceps autem cor meum tibi offero, & intimè de meis peccatis, puritati bonitatiq; tuæ contrarijs doleo, firmiterq;*

ſtatuo, te in æternum non offendere. Oſtende mihi Domine bonitatem & miſericordiam tuã, meq; ad ſecretam Diuinæ Maieſtatis tuæ communicationem admitte.

Hac facta præparatione, legendum eſt aliquid ex libro quopiam ſpirituali; illudq; punctum aſſumendum ad meditandum, quod maiorem impreſſionem in anima fecerit: ac proinde aliquantulum temporis in eius diſcurſu impẽdendum eſt; curando quàm maximè, vt voluntatem moueat. Exempli cauſa; ſi in lectione punctum illud magis cordi eſt impreſſum, qualiter Chriſtus cum manſuetudine humeris ſuis impoſitam crucem geſtaret; tum ſic meditatio eſt inſtituenda. *Maximum eſt, in quo conſiderando occupor. Quid facis Domine mi manſuetiſſime? Quid hoc lignum ad te ſpectat, vt illud tibi imponas? Tu nimirum es innocentiſſimus, & publicè viſum eſt, nullam in te mortis cauſam inueniri: cur igitur ſiles? cur te ſine vlla reſiſtentia ligno crucis ſubmittis? Certè ſcio, te verum Filium Dei eſſe, coram quo Seraphini genuflexi procumbunt: cur itaq; te inclinas, & hoc ligno, quod pro deteſtandis peccatoribus mundi punien-*

dis ſeruit, te grauari permittis? Certè magna mea eſſet durities, ſi pro te mori, & tecum Crucem portare nollem. Si neſcirem, Maieſtatem tuam hunc actum ſummè ſtupendum, pro me viliſſimo verniculo, digno æternâ infamia & pœna, propter hoc quod te offendi exercuiſſe; aliquomodò ingratitudo mea excuſabilis videretur: cùm autem optimè ſciam, te Altiſſimum Dei Filium, extremum hunc cruciatum pro me perpeſſum; nullam profectò excuſationem inuenio, niſi vt te omninò ſequar, tuæq́; infinitæ charitati correſpondeam.

Ecce exemplum meditationis; quam breuem & efficacem eſſe oportet, vt voluntatem moueat ad alias orationis partes affectiuas exercendas, qui fructus ſunt proprij bonæ meditationis; ita vt plus temporis affectibus, quàm diſcurſui tribuatur: ſiquidem diſcurſu, ſolùm vt medio ad partes affectiuas producendas vtimur; ac proinde exerceri non debet, niſi inquantum ad eas requiritur, & non vlteriùs.

Finita itaq; meditatione, campus affectuum intrandus eſt. Sunt autem ij: Gratiarvm Actio, Oblatio, & pe-

Et Petitio; qui cordialiter exercendi ſunt, quoniam ab impreſſione, quam meditatio in anima facit, naſcuntur. Verbi gratia: Factâ meditatione ſupradictâ, ex conſideratione illius puncti, quod eſt videre Chriſtum Dominum noſtrum ligno crucis onuſtum; naſcuntur affectus Gratitudinis, quam anima concupiſcit, videns actum illum à Redemptore ſuo pro ipſa exerceri: naſcuntur item affectus, ſeipſam, & mille mũdos ſi haberet, in huius inæſtimabilis beneficij recompenſationē offerendi: naſcuntur deniq; rerum neceſſariarum in ſeruitium talis Domini, qui res tam admirabiles pro ipſa operatus eſt, Petitiones feruentes; veluti pro paſſionũ mortificatione, virtutum conſecutione, tentationum victoriâ, maiori noſtri & Dei cognitione, peccatorum remiſſione, cæteriſq; omnibus in hunc finem deſeruientibus.

Neq; verò in hiſce partibus ita ad ordinem, ſicut ad affectum prædominantem attendendum eſt. Quamuis enim Incipientibus bonum ſit, poſt Meditatio-

nem peractam, primò affectus Gratiarũ actionis, deinde Oblationis, demum Petitionum variarum excitare: nihilominùs regula istum ordinem seruandi non obligat, sed secundùm affectum praualẽtem, hæ tres partes cõmisceri possunt. Hæc de forma ordinaria orationis mentalis breuissimè proposuimus; cætera à Spirituali Magistro petantur.

Vt autem in promptu habeatur materia meditandi Dominicam Passionem, (cæteræ enim materiæ; puta de Mortis, Inferni, Iudicij extremi memoriâ, aliundè peti possunt) visum est hîc Breue Compendium TRIPLICIS EXERCITII de Passione Domini attexere, cuius recordatio Deo certè est gratissima.

CAPVT V.

De Triplici Exercitio meditandi Passionem Dominicam.

EXERCITIVM PRIMVM Passionis Dominicæ.

Quis patitur? Pro quo? Quare? Quid?

PRima *Consideratio*; QVIS PATITVR?

1. Dignitate Deus, qui maiestate replet cœlum & terram.

2. Homo nobilis ex stirpe Regia Dauidis, de Spiritu S. conceptus in Virginis vtero.

3. Si intellectum spectes, doctissimus: si voluntatem, Sanctissimus atq; integerrimus, qui nullo vnquam errore aut peccato, vel Deum offendit, vel hominem læsit.


4. Si conuersationẽ attendas, grauissimus; nunquam ridere visus, lachrymari sæpiùs, & quidẽ deflẽdo peccata nostra.

5. Si formam, totiusq; corporis dignitatem intuearis; Speciosus est forma præ filijs hominũ, & complexione tenerrimus. Tantus & tam admirabilis, ô homo, propter te patitur.

PRO QVO PATITVR? Non pro diuinissimis illis Spiritibus, Cherubinis ac Seraphinis; sed pro hominibus, pro luto & cinere, pro peccatoribus ingratissimis, pro te in particulari vilissimo homuncione, æternis ignibus digno, &c. Et non commoueris?

QVARE PATITVR? Nulla illi patiendi pro ſe neceſſitas; non quia aliquid cognouit in nobis bonum, aut dignum, pro quo pateretur: non quòd habeat nobis opus: non quòd accedat illi quicquam ac detrahatur, ſiue ſalutem, ſiue damnationem incurramus. Patitur ergo ex ſolo amore, pietate, miſericordia; vltrò, ſpontè, alacriter. O bone IESV, quid tibi eſt? mori nos debuimus, & tu ſoluis? nos peccauimus, & tu luis? opus ſine exemplo, gratia ſine merito, charitas ſine modo.

QVID PATITVR? Nihil in ipſo dolore vacuũ; corpus, corporiſq; omnes ſenſus; anima item, eiuſq; omnes potentiæ; deniq; quicquid in Chriſto fuit, ſuas pœnas ſuſtinuit. Pœnæ quoq; fuerunt acerbiſſimæ, tum ex corporis tenuiſſima conſtitutione, tum quod nullo interno ſolatio ad ferendum ſubleuaretur. Et tu ô Chriſtiane, ſub ſpinoſo capite nimis delicate miles, nihil pati vis aut potes?



EXER-

EXERCITIVM II.

Genera pœnarum & Cruciatuum, quæ in Paſſione Domini concurrerunt.

PRimum eſt: Amara illa ſeparatio Matris ac Filij; cùm Dominus iturus ad mortem, amantiſſimæ Matri valedixit. Quàm enim acerbum fuerit matri, & tali matri, tam duro diuortio valedicere Filio, eunti ad mortem, & talẽ mortem?

II. Dolor ingens, quem hauſit ex Iudæ proditoris nefando ſcelere & interitu, ex Petri amantiſſimi diſcipuli negatione, ex Diſcipulorum cæterorum fuga & infidelitate; quos omnes tenerrimè diligebat, & paulò ante dulci ſermone, & cibo corporis & ſanguinis ſui refecerat. Quàm graue erat vendi ac prodi tãtum Principem & Doctorem, viliſſimo precio, à proprio diſcipulo, atrociſſimis inimicis? quàm deinde peracerbum à diſcipulis deſeri, à primario negari?

III. Mæſtitia illa ingens, anxietas, & agonia in horto: quando ex nimio pauore factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

IV. Ignominia & infamia, quam accepit Dominus I E S V S, dum toties ab vno loco in alterum, ab Anna ad Caipham, ab hoc ad Pilatum, ab eo ad Herodem, & iterum ab Herode ad Pilatum, manibus vinctis, satellitibus stipatus atrocibus, per publicas plateas, tanquam sicarius quidam ac latro duceretur, ac veriùs raptaretur.

V. Contumeliæ ingentes & multiplices, quas sustinuit, cùm nunc alapis cæderetur, nunc conspueretur, nunc arundine percuteretur, velaretur oculis, alba veste, & sordida purpura indueretur, Barabbæ infami latroni postponeretur, minùs eo vita dignus censeretur; & id genus contumeliarum, conuitiorum, irrisionum plurima spectra, pro tuis peccatis pateretur.

VI. Flagellatio ad columnam; quæ non tantùm immanissima fuit, sed etiam ignominiosissima.

VII. Coronatio; in qua acerbissimus, & inexplicabilis dolor & cruciatus, cũ intolerabili ignominia concurrebant. O quid erat videre, Regem cœli & ter-

ræ tractari omni bellua immaniùs; carnem illam virgineam, flagellis dirissimis laniari & discerpi; preciosum illud caput sentibus aperiri & lacerari?

VIII. Egressio illa cum purpureo indumento, & corona ad conspectum furentis populi, clamantis: Crucifige, Crucifige. Stabat bonus IESVS deformis, & leproso similis, clamante Pilato: *Ecce Homo.* Et quis ille homo, & quantus, & qualis iam? quæ hominis in eo species? quis illi decor? Cur non fles homo? cur non eiulatibus omnes reples angulos?

IX. Gestatio propriæ crucis, ac deductio per publicas ciuitatis Magnæ plateas, inter nefarios latrones & satellites, inter adspectantium dicteria, voces, ludibria, &c.

X. Crucifixio; genus mortis crudele, prolixum, & turpe; in quo tormenta omnia renouata, in quo inexplicabilis manuum, pedum, venarumq; concussio, extensio, ac tormentum ingens totius corporis. Sol lumen suum obscurat, mouetur terra, scindũtur petræ; &c. & tu Caucaso durior, Tigride crudelior, ô homo,

homo, cum ſiccis manes oculis? Oh ingratitudo.

XI. Matris dilectiſſimæ, ac amati Diſcipuli perpetuus aſpectus. Non ignorabat certè bonus IESVS, admirabiles cruces & tormenta, quibus amantiſſimæ Matris ſuæ cor ſauciabatur.

XII. Amara ſeparatio corporis & animæ, inter quæ ſummus ſemper amor fuerat, nulla pugna. Moritur ergo Angelorum Rex & Dominus, in flore ætatis, viuis & integris ſenſibus; moritur amor noſter indebita morte, cum ſumma anguſtia, totus afflictus, totus lacer, anxius, ſitibundus, fatigatus: & tu miſer homuncio non commoueris? quin etiam peccata multiplicas?

EXERCITIVM III.

Virtutum conſideratio, quæ in Paſſione Domini admirabiliter ſplendent.

1. HVMILITAS admirabilis, quâ ſe exinaniuit, & ab omnibus contemni ac deſpici paſſus eſt: ne nos extollamur animo, ſed illius amore, contemni quoq; ac deſpici libenter velimus.

2. Obe-

2. OBEDIENTIA in re difficillima, ad mortem vsq; , & quidem Crucis; vt nos etiam obediamus Confessarijs, & Superioribus, qui sunt loco Dei; in ijs rebus maximè, vbi sensualitas nostra repugnat.

3. PATIENTIA, inter tot genera succedentium sibi cruciatuum; vt nos discamus, conuitia & iniurias deglutire, ac obliuisci; nec verbis, minis, voluntate, aut signis vlcisci.

4. CONSTANTIA, siue perseuerantia; quâ neq; flagellis, neq; spinarũ aculeis, neq; clauis, neq; cruce, à cursu procurandæ salutis nostræ diuelli potuit. Itidem & nobis faciendum esset.

5. MANSVETVDO, instar ouiculæ innocentis; vt hinc discamus & nos tacere, cedere, obmutescere, ad vitandas contentiones, & iurgia.

6. CHARITAS; quâ sitiuit salutem nostram, quâ pro crucifixoribus orauit, quâ dolorum suorum oblitus, cogitationem atq; curam suam conuertit, ad lucrandam animam alterius latronis: vt discamus & nos animarum salutem in omni loco quærere, ac sitire. 7. Con-

7. CONTEMPTVS MVNDI; nam pendens in cruce Rex noſter, non alium thronum habuit, quàm patibulum; non aliam coronam, quàm ſpineam; nõ alias epulas, quàm fel & acetum: non alios comites, quàm duos ſuſpenſos fures; nõ alios conſolatores, quàm amarulentos illos carnifices. Et nobis igitur mundus iſte vileſcat, & omnis gloria ac voluptas illius ſordeſcat.

Hæc puncta, non ſimul omnia, ſed nunc vnum, nunc alterum, ſiue Secundi Exercitij, ſiue Primi expendi debet. Aperient pauca hæc aditum ad maiora, & vehementer accendere poterunt voluntatem & affectum, ſi debita præparatione & diligentia examinẽtur; præmiſſa Præparatoria Oratione, affixaq; imaginatione noſtra in Chriſtum patientem, vel in ea loca, in quibus paſſus eſt.

Quòd ſi contingat aliquem inter meditandum, omni guſtu ſolatioq; deſtitui; non ideò animum deſpondeat: ſi enim ſuâ culpâ id acciderit, quia imparatus ad meditandum acceſſit, vel diſtractus & nimis effuſus fuit, vel in pecca-

tum in-

tum incidit; humiliet se, culpam agnoscendo, Contritionis actû eliciendo, ad Confessionem accedendo; & breui sequetur tranquillitas. Si verò id non suâ culpa euenerit, cogitet, id permissum esse à Deo: vel vt disceret, gustum illum nō studio nostro parari, sed dono Dei obtineri; vel vt Deus illū probaret, an ex puro ipsius amore sanctum hoc opus, & nō consolationis suæ causa exerceret. Itaq; desolationis tempore dicat: *Ego hanc meditationem non incepi propter meum solatium, sed ex puro amore Dei, quare & ipsam ex eodem Dei amore perficiam.*

Si verò multis contra suam voluntatem agitetur distractionibus, non propterea Meditationem abrumpat, sed cogitet, si inuito animo obrepant, nullum peccatum admitti; modò vbi se distrahi aduerterit, resistat illis; licet sæpiùs redeant. Neq; enim minùs grata erit ob hunc laborem meditatio illa, quàm si cum deuotionis sensu perficeretur.

Prodest etiam in hac pugna, ad colloquia cum Deo prosilire, & submissè agnoscere, quòd tuis viribus nihil possis

Imò

Imò iuuabit grauiter ſe accuſare, tanquã mortalium ignauiſſimum, qui non poſſit etiam ad breue tempus cum Deo loqui; & illicò auxilium de cœlo adueniet.

CAPVT VI.

De vſu præſentiæ Dei, erga actus quotidianos.

PRæſentia Dei nihil aliud eſt, quàm ſtudium, ſiue pia applicatio mentis, in quibuſcunq; actionibus, ad Deum ſiue intellectuali, ſiue imaginario modo conceptum: alioquin ſi ſatis eſſet Deum eſſe præſentem nobis, non tantùm nos, ſed vniuerſæ creaturæ, ſemper in Dei præſentia verſarentur; at non eſt hic Sanctorum Patrum ſenſus, cùm de Præſentia Dei verba faciunt, ſed iſte, quem nunc deſcripſimus. Sine hac Dei Præſentia, actiones noſtræ ſunt inſtar corporis ſine anima, & quod illis vitam ſpiritualem tribuit, eſt illud ſtudium, quo nobis ſemper Domini Dei memoriam refricamus, illaſq; ad ipſius honorem peragimus. Quæ quidem animi ad Deum applica-

plicatio, vt fructus vberiores proferat, frequentibus Iaculatorijs orationibus, cordisq; eleuationibus est irriganda, diuersos virtutum actus exercendo, maximè Fidei, Spei, Amoris, Contritionis, Humilitatis, Resignationis: quippè sic multorum meritorum erit fœcundissima.

Ex hac doctrina colligitur, quòd duplici modo mens potest applicari ad Deum; vel eo modo, quo quis amicum intuetur, cùm nihil aliud præter aspectũ efficit; vel alio modo, cùm præter intuitum illum, multis affectibus & virtutũ actibus mẽtem ad Deũ excitat: eo modo quo quis in allata similitudine, non modò spectat amicum, sed ei dona offert vel pollicetur.

Modus primus, licet interdum vtilitatem afferat, cùm quis à continuis aspirationibus interquiescit, & tantillum synceris oculis amanter Christum aspicit; vulgò tamen otiosus est, nec animũ inflammat. Quare æquum est, vt Spirituales viri, secundo frequẽtissimè vtantur. Quicquid enim operis aggrediuntur; siue manducent, siue studeant, &c.

inter-

intercalatis aſpirationibus, ſiue Iaculatorijs orationibus Chriſtum alloqui, ſe illi offerre, profectũ illi proponere; nũc Humilitatis, nunc Spei, nunc Amoris, nunc Contritionis actum producere, & cum eo quicquid agendum eſt conferre, atq; auxilium depoſcere debent. Proderit quoq; opera quæ ſunt exercenda, vnâ cum ipſomet IESV Chriſto Domino noſtro incipere ac perficere, eum ducem præeũtem intueri, ac multis cordis motibus in vnoquoq; actu comitari.

Nec ſolùm hæc Dei præſentia ita circumſcribenda, ſed ad proximos etiam extendenda eſt; vt ſingulos, quaſi IESV Chriſti Domini noſtri Fratres, ſic ab eo appellatos; vel tanquam filios eius ſanguine precioſiſſimo redẽptos, & in æternũ regnaturos aſpiciant: ex quo & amor, & reuerentia, & pax, & alia immenſa bona proficiſcuntur. Superiores autem & Magiſtros Spirituales, ſi tanquã Chriſti perſonã agentes intuerentur; ô quãtus bonorum theſaurus inde colligi poſſet? Quinetiam ſic Dei præſentiæ ſe tradere deberent, vt nullã prorſus creaturã,

puta lignũ, lapidem, &c. ſine Dei reſpectu aſpicere velint: ſic enim quot creaturas, tot Dei admonitiones haberent.

Dent igitur omnes operam, ne præſentia Dei vnquam careant, neué aliquãdo rerum, vnioni Diuinæ parùm correſpondentium cogitationes aſſumant; cum reſolutione firmiſſima, memoriam Dei fideliter reſumendi, ſi fortè obliuio aliqua eius irrepſerit; eamq; diligentiam loco Altiſſimæ Sapientiæ reponant, cũ qua in terra vitam ducent Angelicam.

In cuius rei vſum, pij viri in more poſitum habent, aliquot memoriam renouantibus vti remedijs, præſertim verò Coronæ geſtatione; vt quandocunque eam attigerint, memoria Dei reuiuiſcat. Sonitum quoq; campanæ aut horologij obſeruent, vt ad memoriam præſentiæ Dei excitandam conducat. Cæterùm conſpectus hic Dei, ſimul ac aliquis euigilauerit, aſſumendus eſt, totoq; die reliquo fouendus: ita vt cum eo ſemper incedamus, & omnia noſtra negotia tractemus.

Quòd ſi cõtingat, vt Chriſti præſentia mente

mente excidat; æquum erit ſeſe humiliare, & aliquam leuiſſimam pœnitentiam ſibi iniungere. Quod facillimè præſtabunt, ſi certiſſimò ſibi perſuadeant, in paucis Capitis huius monitis, ferè totã Spiritualis vitæ baſim poſitã eſſe; vt impoſſibile ſit cum illorũ incuria, in Chriſtiana perfectione multùm proficere.

CAPVT VII.

Quid agendum inter loquendum, & Conciones audiendum?

SI loqui oporteat, ſaltem mentaliter dicent: *Guberna Domine linguam meam, ne tibi diſplicentia proferat. Idem à te Sanctiſſima Virgo peto.*

Quòd ſi Concionem vel Exhortationem audituri ſint, directionem eiuſmodi præmittent: *Domine mi, eſt mihi audienda,* Concio, Exhortatio, &c *tuo nomine mihi intimanda; effice quæſo, vt verba tua imprimantur viſceribus meis, & per ea illuminer, melioróq; quàm accedo reuertar, ac in me tuæ Maieſtatis notitia & amor, propter gloriam tuam, augmentum ſumat.*

Et tu

Et tu Serenissima Virgo, me in hunc finem ad-iuua, qui tibi vnicè placere hoc actu desidero: vt verba teneam, & eliquetur veritas tua in corde meo. Tunc Cõcio aut Exhortatio, summa cum modestia, verborumq; Dei æstimatione, ac maxima attentione audienda erit; omnem inquietudinem ex anima & corpore pellendo, doctrinæq; spiritualis puncta obseruando, vt animæ imprimantur, & executioni demandentur. Quod negotium tanti momenti est, vt ex eo breuissimo tempore, maximum diuinorum lumen, & vitæ perfectio acquiratur. Illud vel maximè curandum est omnibus, vt cum summa vigilantia & fidelitate, præcepta communia, vel alicui personæ applicata, quorum ipsimet sibi sunt conscij, propriæ applicẽt, tandemque vitia emendent.

CAPVT VIII.

De modo studendi, & quoduis externum opus aggrediendi.

PRocurabunt quàm maximè otium, quod est puluinar Diaboli, deuitare.

Quodcunq; externum opus incipient, hac formula vti poſſunt : *Domine Deus ; Ecce opus tale & tale,&c.* [ſtudia mea, opera charitatis externa, &c.] *ſum aggreſſurus. Sit hoc, vel hoc opus , &c.* [ſtudia mea, opera charitatis externa,&c.] *ad nominis tui gloriam, & B.M. Virginis laudē ; vobis namq́; per omnia ſummoperè placere cupio.* Curabũtque opera ſua Deo,& Beatiſſimæ Virgini identidem offerre, aliquoties in die, iuxta conſilium Confeſſarij : IESVM Chriſtũ rogãdo,vt omnes actus,qui exerceri debẽt,in corde eius dulciſſimo emẽdentur, perficiantur, & ſtabiliantur.

Poteruntq́; hanc Orationem adiungere :

ACTiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere ; vt cuncta noſtra oratio & operatio, à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur.

TVa nos, quæſumus Domine, gratia ſemper præueniat & ſequatur, ac bonis operibus iugiter præſtet eſſe intentos. Per Chriſtum Dominũ noſtrũ. Amẽ.

Tandem ſtudio & lectioni incumbẽt, modo

modo quodam pio, qui non modò ad intellectum illuminandum ſpectet (hæc enim gentes inquirunt) ſed etiam volũtatem ad Dei amorem excitet. Quod obtinebunt etiam in naturalibus ſcientijs; ſi nimirum eas ad Dei cognitionem, amorem, & gloriam dirigant; (ideoque lumen à Deo frequentiſſimè poſcent, ad id dũtaxat ſciendum, quod neceſſarium eſt; vt & ipſi ſaluentur, & alijs ad finem hunc conſequẽdum auxilio eſſe queãt:) ſi vanæ eruditionis, vel ingenij oſtentationem fugiant; (Scientia enim, quæ in animam ſine Spiritu Dei ingreditur, inflat & non ædificat;) ſi præterea in actibus publicis & diſputationibus, à nimijs contẽtionibus, & mordacibus verbis abſtineant, veritatemq; ſectentur; ſi deniq; omni cum puritate viuant: nam è duobus, qui æquali ſunt ingenio præditi, is hauddubiè meliùs proficit, qui purioris eſt vitæ. A iuramentis autem, malorum imprecationibus, ab obſcænis & detractorijs verbis, & his ſimilibus, tanquam veri Filij Beatiſſimæ Virginis, omninò abſtinebunt, prauoſq; ſodales Dæmone

 peiùs

peiùs fugient; librosq; turpes, & lasciuas materias continentes, Hęreticos, vel de Hæresi suspectos, hisq; similes, procul à se ablegabunt.

Non grauabimur hîc subijcere ex S. Bernardo, *lib: Medit: c.* 1. *& Sermone* 36. *in Cantica*, finem, quem debent spectare literarum Studiosi, vt iuxta eum studia sua dirigant. *Verba sunt Sancti, paucis immutatis*: Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt: alios inspiciunt, & seipsos deserunt: Deum quærunt per exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est Deus. Sunt namque qui scire volunt, eo fine tantùm, vt sciant; & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi; & turpis vanitas est. Et sunt item, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus; & turpis quæstus est. Sed sunt quoq; qui scire volunt, vt ædificent; & charitas est. Et item qui scire volunt, vt ædificentur; & prudentia est. Vti ergo cibus indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus,

& non nutrit: ita & multa ſcientia, in-
geſta ſtomacho animæ, quæ eſt memo-
ria, ſi decocta igne charitatis non fue-
rit, & ſic per quoſdam artus animæ, mo-
res ſcilicet atq; actus transfuſa atque di-
geſta; reputabitur in peccatum, tanquam
cibus conuerſus in prauos, noxioſque
humores. An non malus humor pecca-
tum? an non mali humores praui mores?
an non inflationes & torſiones in con-
ſcientia ſuſtinebit, qui ſciens bonum,
non facit illud? Scienti enim bonum fa-
cere, & non facienti, peccatum eſt ei.
Iacobi c. 4.

Ad normam capitis iſtius, vnuſquiſq; iuxta ſtatum proprium, negotia ſua ad præſcriptũ iuſtitiæ moderabitur, & Deo ſecundùm proportionem actus offeret.

CAPVT IX.

Quid faciendum, cùm ingruunt tentationes?

IN quacunq; tentatione ad Orationem confugient, implorando Chriſtũ Dominum per vulnera precioſiſſima, vt in

illo insultu dæmonis animam confortet, ne prauis suggestionibus, per delectationem aut consensum succumbat. Proderit autem ad hoc efficaciùs obtinendum, vt statim ac tentatio cor pulsare inceperit, animum à primis cogitationibus auellant, occasiones vel minimas in aspectu, auditu, locutione, &c. euitando, partemq; animæ inferiorem ad illicita propendentem, ad superioris portionis, seu rationis & legis diuinæ præscriptum reformando.

Si ergo aliqua ex passionibus vndecim; quæ sunt, amor, desiderium seu concupiscentia, gaudium seu delectatio, odium, fuga siue abominatio, tristitia seu dolor, spes, timor, audacia, desperatio, ira, in sensu inordinatè oriri cœperit; celeriter & animosè reprimenda est.

Quod tripliciter fit.

Vel per rationem humanam, Ethnicis quoque Philosophis, qui coluêre virtutes vsitatam; vel per modum Christianum ex fide petitum: vel per Christi cru-

ſti crucifixi imitationem: quòd ſubiectis quinq; patebit exemplis.

EXEMPLVM PRIMVM,

Paſſionem Amoris & Delectationis refrenandi.

SVbit in ſenſu Amor inordinatus, vel delectatio carnalis concupiſcentiæ, quæ ſubitaneo motu placet parti inferiori. Qui ergo ſic tentatur, culpam inprimis à tentatione vel delectatione ſecernat: in huiuſmodi enim ſubitis, vel primò primis motibus amoris & cõcupiſcentiæ, plerumq; non ſubeſt culpa, quia conſenſum rationis, in viris quoq; perfectis anteuertunt. Si quæ vero culpa latet, ob rationis negligentiam, quæ non ſtatim has paſſiones plenè aduertit & coërcet, ea venialis tantummodò eſt.

Mox igitur, vt quis animaduertit, celeres illos amoris vel concupiſcentiæ motus excitatos; reprimet è veſtigio appetitũ, ne pergat vlterius, & per naturalem rationem, ſic illi reſiſtenti imperabit. *Abſtine ab hoc amore ſenſualitatis, &*

noxia concupiſcentia: non enim decet hominem rationis compotem, ac rebus his corporeis mente præſtantiorem, & ſtudio ſapientiæ, ac virtutum honeſtati natum, belluinam voluptatem, quâ mens à melioribus bonis auertitur appetere.

Hic modus reſiſtendi eſt naturalis dictaminis.

Efficacior tamen modus, homineque Chriſtiano dignus eſt ex fide, quæ per dilectionẽ operatur: cuiuſmodi eſſet tale rationis, lumine ſuperiori illuſtratæ, appetitumq; domantis præceptum: *Abſtine ab hac illicita concupiſcentia; non enim fas eſt, hominem bonis æternis fruiturum, ab illis per concupiſcentiam prauam diuerti, & inde perpetuam damnationem incurrere.*

Ac tandem dignior hic eſſet modus, ex imitatione Paſſionis IESV CHRISTI decerptus: *Abſtine ab hoc noxio amore, & concupiſcentia; non enim expedit ſenſualitati inordinatè vacare, quam vt Chriſtus Dominus edomaret, pro nobis ſpinas, ſputa, flagella, clauos, mortem deniq; acerbiſſimam in ligno Crucis ſuſtinuit.*

Quòd

Quòd si appetitus his rationibus minimè cederet, nõ propterea incassum laboraremus: nam præterquàm quòd appetitus rationi non obtemperat ad nutum, quemadmodum exteriora mẽbra; *oculi, v.g. manus,&c.* sed modo quodam politico, instar ciuium rebellium, qui non semper Domino parent,& frequenter validissimè repugnant; compertum est,hoc modo meritum augeri, Christianam mortificationem parari, & consuetudine pugnandi, rationem tandem appetitus dominatu potiri. Appetitus tamen ab ea delectatione diuellendus, & ad cælestia excitandus est, hicq; actus internus concipiendus.

Clementissime Devs, *appetitui hæc res placet* (honor v. g. mihi ab alijs exhibitus,propter existimationem de meo ingenio, literatura, seu dexteritate conceptam, quem amare incipio inuitus in sensu) *sed nullam inde actu deliberato rationis delectationem haurire volo.*

Statimq; cor in gloriam cælestem,tãquam maius & melius bonum transferendum est, & dicendum: *Quantò mihi*

honorificentior erit concepta de me, in amplissima Dei curia, Sanctorumq; augustissimá praesentiá existimatio? Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Ex quo patet; diligenter in quauis re exercenda animaduertẽdum esse, ne cor apparente rerum specie capiatur, illique adhæreat: sed statim ac videtur iucundũ aliquid, ab eo mentem esse diuellẽdam, & cor ad cælestia attollendum.

Quod adhuc magis hoc pacto dupliciter illustratur.

Videt quis vtile bonum, nempè palatium commodum; extemploq; excitatur amor, in eo (si fieri posset) ad centũ annos permanendi. Interim dum hoc cogitat, subitò cor in sedes cælestes in æternum permansuras eriget, inquiens: *O quantò mihi commodior erit sedes in cælo? Melior est dies vna in atrijs Dei, super mille dies, in palatijs mundi præstantissimis.*

Videt adhuc quispiam bonum delectabile, cibum scilicet sapidũ tempore Quadragesimæ; hinc confestim inualescit amor vel appetitus, illum frequenter in die sumendi, ieiuniumq; Ecclesiasticum

ſticum violandi. Tunc vt vincat hanc paſſionem, cor feſtinatò in cælum efferet, aiens: *Quantò mihi ſuauius conuiuium erit in cœlo, vbi eſca erit panis Angelorum, & cibus ipſe fons vitæ?*

EXEMPLVM SECVNDVM,

Paſſionem Odij, Fugæ, & Triſtitiæ reprimendi.

SVbit odium, ſeu motus auerſionis, quo appetitus afficitur, cùm aliquid ſibi diſſonum, hoc eſt contrarium ſeu repugnans, verbi cauſa, inimicus aliquis obuius repræſentatur. Hinc pullulat Fuga ſeu abominatio, quæ eſt motus retractionis; quo appetitus à malo, hoc eſt inimico illo recedit: ac tandem, ſi illum non valet effugere, ſuccedit Triſtitia de eodem præſente, per interiorem mali repræſentationem concepta.

Tunc ergo, qui ſui curam gerere decreuit, mox ac iſti motus incipiunt exoriri, ſic poterit appetitui imperare.

Primò; per rationem naturalem. *Abſtine ab hac auerſione: honorificum enim eſt vincere ſeipſum, animo dominari, iniuriarum ab ini-*

mico illatarum obliuisci, cum illo pacificè agere, nec tristitiæ passioni propter eum præsentē subdi.

Secundò; per eruditionem Fidei, proponendo appetitui vera mala, quæ perhorrescat, hoc modo. *Depone odium erga inimicum tuum; nil enim odisse debes, præterquàm peccatum, cui soli debetur detestatio. Quòd si Tristitia serpit, non ob illatam iniuriam, sed ob culpam ingrauescat, vt in salutarem pænitentiā conuertatur. Tracta igitur cum ipso, gaudeas de tot coronis cælestibus, quas diligendo inimicum lucraris.*

Tertiò; per Christi imitationem. *Abstine ab odio inimici, dilige eum, cum eo lætus conuersationem habeas, si velis imitari Christum, qui amauit & fouit inimicos, cum iisq; libenter conuersatus est. Hæcciné est imitatio Christi* I E S V, *qui pro crucifixoribus orauit, pro iisq; mortem ignominiosissimam subiuit?*

Hæc identidem sunt repetenda: tali enim imperio appetitus eneruatur; quinetiam interdum repentina mutatione ac conuersione incipit amare, quod priùs odio prosequebatur.

TERTIVM EXEMPLVM,

Paſſionem Spei atq; Audaciæ coërcendi.

PVlſatur quiſpiam Spei Paſſione; v.g. ſperat, ſe per modos aliquos illicitos dignitatem quampiam obtenturum. Res hæc ardua videtur, & ſumptu magno indigere. Tamen repræſentatur eſſe poſſibilis; vnde tametſi anima detrimentum patiatur, decernit de illa, ardua licet, erectus Spe, quæ eſt motus in bonum arduum, quod creditur poſſe comparari, ſeriò cogitare. Cui ſuccedit Audacia, quæ eſt motus Appetitus, qui progreditur contra malum arduum imminens, & velut armatus cum arduitate congreditur, & illam perſequitur.

Tunc igitur, qui hoſtes iſtos ſubiugare vellet; ſic cum illis, per rationes ex naturali lumine hauſtas, congredi poſſet. *Quid captas appetitus effrenis? hominis profectò mente indignum eſt, quæ non ſunt vera bona, cum tot miſerijs ſperare: rationi verò diſſentaneum eſt, ac proinde à bono vero exorbitans, iuſtitiæ tranſgredi limites. Abſit ergo, vt tempus & la-*

borem impendas, & per modos illicitos, ad competitores, quos iniustè vexas, audacter depellendos progrediaris; honorem fortaßis, sed damna virtutis habiturus. Hic modus naturali rationi consonus est.

Alter tamen modus, Christiano viro consentaneus, hic erit, quo superior pars vtatur. *Desiste ab hac Spe, quæ secum trahit infernum. Spera potiùs in Deo, qui te non deseret, & fac bonitatem: inhabita corde terram viuentium, & pasceris in diuitijs eius. Quantò tibi melior est Clementißimi Dei animus erga te beneuolus, quàm totius mundi possesßio? qui profectò tibi confestim diuitias subministrabit ampliores, si spretis ijs, quæ eum offendunt, des operam, vt spes & portio tua sit in terra viuentium. Quapropter aude potiùs contra difficultates, quæ te à dulcißimo* IESV *Christi corde remorantur; & fælix eris.*

Ac tandem longè sublimior modus, imitatore Christi dignus erit. *An Christus captauit multas prætensiones? an propterea gratiam iniuit, qui corda omnium demulcere poterat, vt toti orbi dominaretur? Certè non quærebat dignitates, imò oblatas fugiebat. Quinetiam cùm vulpes habeant foueas, & volucres cœli*

nidos;

midos; ipse tamen totius mundi Monarcha, non habuit vbi caput, sempiterna dignum requie reclinaret.

Spes ergo tota in Deo collocari, & ad bona tantùm vera, Audaciæ conatibus progredi debet.

QVARTVM EXEMPLVM,

Desperationis & Timoris Passionem mortificandi.

SI Desperatio, quæ est motus appetitus à bono, quod acquiri non posse creditur, insurgit; statim hominem ita opprimit ac deijcit, vt existimet, se consequi non posse bonum, quod amat: verbi gratia; postquam aliquis videt, se post tot remedia & pœnitentias, in eadem imò grauiora peccata prolabi, virtutemque nullam comparare; ab emendatione vitæ resilit, eamq; se assecuturũ desperat. Auget eandem Desperationis Passionẽ, *Timor verbi causa Pœnitentiæ*, qui est motus appetitus, recedentis ab arduitate mali propinquantis, cui resisti nequit; indeq; contrahitur, & à bonis auertitur. Tunc si ab initio huic malo non occurratur ap-

ratur, appetitus insultabit & dicet: Quid te frustra torques? tot vsus es mortificationibus, identidem relapsus es, nec modò adsunt nouæ vires; vix credibile est, an ampliùs peccata præcauere, & vitam emendare possis.

Dum ergo appetitus sic malè afficitur, ratio quãtociùs accurrere debet; & secundo è tribus propositis domandi modis, ad reprimendum Desperationis vitium vtatur, aiens: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc post tot meæ fragilitatis lapsus, confiteber illi; hoc est, spe laudabo illum, qui est salutare vultus mei; id est, qui est salus seu remedium, in quod fertur intuitus meus: ac demum est* DEVS *meus, cuius est elisos erigere: & cùm facilè illi sit subitò pauperem honestare; non sine culpa desperarem de Deo, qui vt me in spem erigeret, mei causa acerbißimam mortem sustinuit, meq; adiuuare paratus est.*

Timorem quoq; Pœnitentiæ, aut duræ alicuius pro Christo tolerandæ aduersitatis, quam appetitus quasi vehementem quandam procellam, vel imminentem fabricæ ruinam incipit metuere,

tuere, ac resilire; ita ratio secundo è tribus illis domandi modis superabit. *Scio, quòd non meis viribus, dura quæq; pro amore Dei sustinebo, sed Dei gratia suffultus. Quare quid trepido, quid timeo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersum me prælium, in Deo meo sperabo.*

Quòd si adhuc sensus renititur, tertius modus, qui constat imitatione Christi, adhiberi debet: cùm enim Christi pars inferior, Passionis acerbitatem vsq; ad sanguinis sudorẽ formidaret; Audaciæ passionẽ, rationis actu deliberato excitauit, vt cum timore confligeret, ac præualeret. Vnde surrexit, ac discipulos monuit: *Surgite, eamus; ecce appropinquauit, qui me tradet.* Matth: 26. Ad eũdem modũ pugnatores spirituales se muniant: *Eia agite, surgamus: & sicut Timore contracti refugiebamus instans pœnè malum; sic per Audaciam excitatam, aduentanti labori fortiter occurramus. An Christo dignus sit, qui Christum in agone, & laborum certamine non comitatur? Certè non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.*

VLTIMVM EXEMPLVM,

Iræ Passionem reprimendi.

Passio

PAſſio Iræ ſuſcitatur ex aliqua iniuria illata, ex qua deinde conſurgit excandeſcentia, vel motus appetitus, ad vindictam & pœnam pro iniuria rependendam: quaſi vindicta ſit ſibi bona; mala autem ei, qui intulit iniuriam: feruetq;, dum repræſentatur vilipenſio ab inferiore facta, vbi pars inferior conqueritur: Non debuit me paruipendere, debuit aſſurgere, caput aperire, ea quæ dicebam non improbare; imò mihi roganti mitiùs reſpondere debuit; & ecce cõtradicit, & me corripit. Multa alia his ſimilia, propriæ excellentiæ amor obijcere ſolet.

Tunc ergo, antequam ratio excœcari incipiat, verus athleta, ita hoſtẽ viriliter adorietur: *Miteſce ferox appetitus; non enim decet hominem rationis compotem, quaſi belluam excandeſcere, & ebrietate quadam furoris huius dementari.*

Quod efficaciùs appetitui perſuadebitur ex hac ratione: Turpitudo enim Paſſionis Iræ, in ipſo vultu ſe prodit; dum oculi micant, labia tremunt, ſermo concitatione ipſa interciditur, & totus homo

homo à manſuetudine alienatur: quæ ipſi natiua eſt, cùm ſit ſociale animal. Sed modus hic naturalem rationem non excedit, quamuis efficax videatur.

Modus ſecundus Chriſtiano dignus erit. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt viuentium terram. Ergòne iure cæleſtis hæreditatis, quam fides oſtendit, ob ferinam hanc paſſionem expolier?*

Sed modus imitatoribus Ieſu Chriſti, potiſſimùm congruens erit. *Tanquam agnus coram tondente ſe obmutuit Chriſtus, quaſi ouis ad occiſionem ductus eſt; & cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non cõminabatur, imò tradebat iudicanti ſe iniuſtè: & ego ipſius amore non muteſcam?*

Hîc autem obſeruandum eſt, prout etiam ſuprà innuimus; Paſſiones prædictas vtiliter poſſe exerceri, ſi ad bonum melius, nempè ad res diuinas transferantur. Amor enim, exempli gratia, Deſiderium, & Spes, poſſunt, imo debent vtiliter ad Deum extendi; vt ſic v. g. appetitus, qui amat rem apparenter bonam, aut pulchram, paſtu non ablato, ſed mutato conquieſcat. Similiter Odium, Fuga, Tri-

ga, Triſtitia, ad peccati horrorem tranſ-ferenda ſunt.

Vitium tamen Deſperationis, quamuis non habeat bonum ſpirituale, quod ob arduitatem deſperandum ſit; vſus tamen eius hic eſſe poterit, iuxta Regij Pſaltis conſilium. Pſal: 145. *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* Quaſi diceret: Ne ſperetis ſalutem ab hominibus, qui ea carent: deſperanda quippè ſalus eſt, quam mundus impudenti mendacio pollicetur.

Timor latiſſimum campum habet: ſi enim pœnitentiæ rigor, & aſperitas timetur; multò magis inferni cruciatus, & tremendi iudicij ſeueritas, formidini eſſe debent. Imò nulla quantumuis terribilia præſentis vitæ mala eſſe pertimeſcenda, ſic Chriſtus edixit: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quid faciant. Oſtendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. ita dico vobis, hunc timete.* Luc: 12.

Ira pariter exercenda eſt erga peccata, quæ ſunt hoſtes animæ; & inter alios fero-

ferocissimos inimicos, sunt ipsæ Passiones, rationem iugiter oppugnantes. Iram autem posse salubriter erga hostes excitari, Christus ipse demonstrauit; cùm in templi violatores, tametsi esset mitissimus, excanduit.

Ex his quæ hactenus dicta sunt, elicere possumus; vndenam Passiones, vel tentationes, aut suggestiones recenter coortæ, originem trahant; qualiter sint cognoscendæ, & in primo insultu (ne malum ingrauescat) vigilanter, fortiter, & celeriter excutiendæ. Quocircà, siue quispiam (exempli gratia) re turpi sensibus externis percepta, & ad imaginatiuam vsq; perlata; siue sine exteriorum sensuum adminiculo, sola imaginatione composita; siue à Dæmone quoq; formata (quæ tria passim accidunt) tentetur; in rationis Superioris regulam, aut legem Diuinam, debet acuratissimè reflecti; & ex eo quasi regis subsellio, vires omnes moderari.

Si ergo tentationis impetu inferiorē hominis partem commouente, ratio quouis modo negligat, exortas in appetitu sen-

titu sensitiuo passiones in turpia ferri, & ad plenam deliberationem non pertingat, culpa duntaxat venialis admittitur.

Quòd si ratio inferior, hoc est, quæ humano modo de rebus iudicat, à superiore, quæ diuino modo, iuxta Dei legem de rebus censet, non corrigatur; vel (quòd est planiùs) ipsa ratio superior saltèm tacitè inferiori assentiatur (dum est sufficiens deliberatio) culpa mortalis committitur. Nisi fortasse res leuis sit: nam in rem leuem, superioris quoq; rationis perfectus consensus, culpæ venialis limites non excedit.

Exemplum tale sit:

Tentatur quispiam impudicè, postquàm rem pulchram imaginari cœpit; extemplò concupiscentia feruet: tunc ratio inferior, hoc est intellectus humano modo discurrens, velocissimè concipit; excretionem v. g. seminis, ad grauatam naturam exonerandam, & corporis valetudinem prodesse; voluntatique conceptus ille sanitatis proponitur, tanquam bonũ quoddã vtile ac delectabile.

Tunc

Tunc ergo, ſi ratio ſuperior, hoc eſt ipſe intellectus, quatenus ad Dei legem æternam ordinatus eſt, permittente ſibi voluntate, negligat conſiderare, illam rem eſſe legi Dei aduerſam: vel quamuis id aduertat, ita tamen permittente voluntate negligenter ſe gerat, vt ſinat ipſi voluntati placere; tacitus conſenſus mortalis eſt: quem ex eo, quòd verè deliberatus eſt, Delectationē moroſam Doctores appellant; non à temporis, ſed à rationis tacitè aſſentientis mora, quæ in temporis momento accidere poteſt.

Si verò & ipſa ratio ſuperior expreſſè conſentiat (quod accidit, cùm rem turpem intellectus deliberatè cogitat, & voluntas illi hæret) manifeſtum eſt, culpam grauem admitti.

Si tamen etiam in re grauiſſima, ratio ſuperior non perfectè deliberet; culpa ſolùm venialis ineſt: vt in ſubitis motibus Infidelitatis (quæ propriè ad ſuperiorem rationem attinet) ſolet accidere.

Ex his patet; vniuerſè verum eſſe, ex vno expreſſo, vel tacito rationis voluntatiſq; conſenſu, culpas omnes præſertim gra-

tim graues exoriri: adeò vt si per incogitantiam, vel euagationem, vel quamuis aliam eius generis causam, nō solùm appetitus sensitiuus, verùm & intellectus ipse, vanis, illicitis, vel turpibus, per horam integram, imò & diutiùs inopinus adhæreat (quod etiam in Sacro audiendo, alijsq; functionibus sacris & ferijs frequenter solet accidere) culpa mortalis non admittatur.

Positis igitur his duobus; nempè distractione, vel inutili, imò & turpi cogitatione, quantumuis importunissimâ & diuturna, & voluntate seria, illam statim ac animus aduertit depellendi, mentemq; colligendi, nunquam mortalis culpa subintrat.

Hæc dicta sunt propter scrupulosos, qui (beneficio Dei) ita sunt affecti, vt datâ operâ nōlint res illicitas cogitare, nedum committere. Hi enim si tentationem à consensu dignoscere, & fortissimè ad primos impetus repugnare consuescent, à nocentissimo scrupulorum genere immunes erunt. Quamdiu autē pugnandi voluntas, ad primam tentationum co-

num cognitionem viguerit; ne credant, ſe inſcios in grauia peccata (quæ Dei bonitas eſt) prolapſuros. Si autem grauiora tentamenta ingruant, certò ſperent, Deum ipſis vires ſubminiſtraturũ, nec paſſurum vnquã eos tentari, ſupra id quod poterunt: imò facturum etiam cum tentatione prouentum, vt poſſint ſuſtinere. Ament probari; vt cùm probati fuerint, coronam vitæ accipiant. Tranſeant per ignem & aquam, vt in ſuauiſſimum gloriæ & regni cæleſtis educãtur refrigeriũ.

Hucuſque ea propoſuimus, quæ ad Paſſionum notitiam ſpectant, & documenta non ſolùm ſpeculatiua, ſed etiam practica tradidimus, per quæ ſpiritualis aſceta inſtruitur, qualiter ſtatim ab initio ſuggeſtiones malignas reprimere valeat.

Quòd ſi tentationes importuniùs mẽtem infeſtauerint, nec appetitus imperio rationis ſe ſubdere velit, animo obfirmato hæ vel ſimiles Orationes fundendæ ſunt.

B*Enigniſsime* I E S V, *per omnia vulnera tua obſecro te, cuſtodi cor meum; vt nullam cogi-*

tationem, nullam deniq; malitiæ cuiuscunq; machinationem, in corde meo scienter admittam; nec mihi aliquid eorum placeat, quod tibi displiceret. Piissime IESV, per mortem tuam amarissimam, fac nulli horum ad delectandum sustinendumq; consentiam; sed meam tu tene voluntatē, tuá vt semper maneat vnita volūtate. Amē.

Mane mecum Domine, quoniam aduesperascit; appropinquat nox mortis, tentationis, teporis, negligentiæ.

Per signum Crucis, de inimicis meis, libera me Deus meus.

Domine vim patior, responde pro me.

OMnipotens & mitissime Deus, respice propitius preces nostras, & libera corda nostra de malarum tentationibus cogitationum, vt S. Spiritus dignum fieri habitaculum mereamur. Per Dominum nostrum IESVM Christum Filium tuum: Qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus S. Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Quòd si tentatio perseuerauerit, hæ aspirationes identidem sunt repetendæ.

CEnties millies, ô Benignissime IESV, tota spes mea, amor, & desiderium meum, mori malo, quàm peccato consentire, & vel minimùm te offen-

te offendere. Supplico tibi Clementißime Domine, in ista neceßitate pugna pro me, quia sine tuo auxilio vincere non poßum.

Vel etiam dici poterit hæc Oratio.

Domine I E S V *Christe, Fili Dei viui, ego miserrimus peccator, confisus non meis meritis, sed in tua infinita misericordia, & meritis Sanctißimæ Paßionis tuæ, quam pro me sustinuisti; & in fide illius liberalißimæ promißionis tuæ, quâ nobis promisisti omnia daturum petentibus te: humiliter peto & oro, vt non permittas, quod ego te offendam aliqua in re, sed gratiá tuá auxiliante facias, vt ego in omnibus, tuam exequar sanctißimam & dulcißimam voluntatem. Quod totum rogo etiam mihi à te præstari, per merita & intercesßionem Beatißimæ Virginis Mariæ Matris tuæ, S, Ioseph, S. Teresiæ, & Omnium Sanctorum. Amen.*

Inuocandum adhuc erit, cum omni reuerentia & submissione, auxilium Deiparæ Serenissimæ, hæc vel similia proferendo.

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ:
Tu nos ab hoste protege, Et hora mortis suscipe.
Gloria tibi Domine, Qui natus es de Virgine:
Cũ Patre & S. Spiritu, In sempiterna sæcula.

Quòd si tentatio fastidiosiùs institerit, ita vt aliò mens diuerti non possit; is qui ab illicitis hisce cogitationibus acriùs infestatur, iuxta præscriptum prudentis Confessarij, vel prostratus in terra in modum crucis (præsertim si solus manserit) viriliter dicet: *Deus propitius esto mihi peccatori.* vel, *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* vel, *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.* Vel certè ad pectus Domini lancea perforatum confugiet, & ad vulnus Sanctissimi lateris accurret, in eoq; refugium quæret, deuotè dicens.

OBsecro te Domine IESV *Christe, vt paßio tua sit virtus mea, quá muniar, protegar, & defendar. Vulnera tua sint mihi cibus & potus, quibus inebrier & delecter. Aspersio sanguinis tui, sit omnium peccatorum meorũ ablutio. Mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas, studium, desiderium, nunc & semper, & per infinita sæculorum sæcula. Amen.* Vel deniq; patienter illam Crucem & Purgatorium feret, tentationem contemnendo, & Domini Clementiam cum omni humilitate præstolando,

Angelo

Angelo quoq; Custodi se commendãdo.

Poterit etiam cum consilio Confessarij aliquas mortificationes adhibere: *puta disciplinas facere, ieiunare, &c.* & frequenter ad Sacramenta accedere.

Non parùm etiam iuuabit, præ oculis habere Dei præsentiam, scrutantis & intelligentis omnia quàm diligentissimè, qui potest in momento peccatorem castigare, & in abyssum inferni detrudere: similiter proderit aliquid *De Quatuor nouissimis* perlegere.

Ac tandem adhibendæ sunt non rarò Eiaculatoriæ Orationes, Deo certe acceptissimæ: quarum vt innotescat vsus, pauca de ijs documenta, vnà cum illarum praxi afferemus.

CAPVT X.

De Orationibus Eiaculatorijs.

Eiaculatoriæ Orationes, quæ & aspirationes, vel motus anagogici vocantur, nil aliud sunt, quàm breues quidem, sed feruidæ mentis in Deum eleuatio-

uationes. Et vocantur Eiaculatoriæ, eò quòd veluti iacula quædam, & sagittæ aureæ, Deum tangant, ijsq; anima quasi ferit & penetrat cor, & pectus Dei amantissimum.

Quòd si illæ initiò non facilè producentur, vel insuaues videbuntur; non ideò desperandum est: successu enim temporis, & exercitio continuo, illarum vsus suauissimus reddetur, modò cor lā-guidū frequēter erigatur. Harū vis & efficacia tanta est, vt ad insignē cū Deo familiaritatem facilè breuiq; prouehant. Concors enim omnium (quos legerim) sententia est, ad altissimam Dei cognitionem, & sensum siue experimentum, aspirationum vsu ita animam erigi, vt si hoc Angelicum exercitium, miris laudibus celebratum, cæteris omnibus antepositum frequentet, plurimùm proficiat. Habet enim tam egregiam vim exstimulādi, & Diuinis flāmis vrendi; vt hoc vnum idoneis circumstantijs septum, & studio virtutum armatum, ad summam Christianæ vitæ perfectionem, & puritatē corda nostra perducat, totq;

dona

dona cęlestia, animæ ſeſe idoneè comparanti, munificentiùs quàm cogitare poſſit conferat.

Vt ergo praxim huius exercitij tam ſalutaris tradamus, meminiſſe opus eſt; doctrinam hanc non omnibus congruere, ſed ijs, qui aliquandiù in oratione mentali, paſſionibuſq; ſubiugandis, & parandis virtutibus operam poſuerunt, & propter amorem Dei vniuerſa, quæ ab eo cor auertunt, ſaltem affectu abijcere decreuerunt.

Ii ergo, ſiue præſentiam Dei imaginariam, ſiue intellectualem mente verſent atq; pertractent (à qua nunquam recedere deberent) ſimpliciſſimis, ſed (quoad poſſunt) feruidis cordis motibus anagogicis, hoc eſt animã erigẽtibus aut ſubleuantibus, mentẽ impellere, & creberrima iteratione ſurſum agere debẽt: ita vt modicã partẽ intellectui meditanti; maximam verò voluntati ad Deum ſe erigenti, & multiplici affectu incaleſcenti tribuant: ſiue cùm in abditum locum ſe recipiunt, ſiue cùm in publicum prodeunt, ſiue cùm veſcuntur,

ſiue dum colloquuntur, ſiue denique cùm quippiam aliud agunt, quo nō prorſus mens occupetur. Cùm enim non ſit opus continuum, ſed morulis diſcretum, omnibus ferè actibus interſeri poteſt; ſeu quis mente perſpicax, ſeu tardus ingenio ſit, vt ſtatim ex praxi liquebit. Si verò occurrat difficultas (quin & vniuerſaliter quouis tēpore) prudenter agēdū eſt, ne ſcilicet nimia corporis vi natura lædatur. Temperato enim conatu, ſed perſeueranti, cor ſenſim erigitur, & in dies ſingulos maiorem expeditionem, & agilitatem, vſq; ad ſuauiſſimum Dei experimentum acquirit. Sed hæc eſt praxis hominibus etiam agreſtibus, & ſimpliciſſimis captu facillima, quam in ſubiecto exemplo proſequemur.

CLementiſsime Deus, quando diligam te? Suauiſsime Deus cordis mei, vtinam dilectionis brachijs amplecterer te. O deſideratiſsime Rex, cupio transformari in te. O dulciſsima vita animæ meæ, vtinam adhæreret anima mea poſt te. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? vtinam deficiat in te cor meum, & caro mea, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Quando

Quando Domine soluetur glacies cordis mei? Emitte obsecro, Spiritũ tuũ calidum & vrentem, qui resoluat gelu meũ, & consumat animam meam. O desideratissime Rex, ô pulcherrime Sponse animæ meæ. Sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te. Certè sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Tu enim es requies cordis mei solliciti & satagentis, & ad optatissimam sibi voluptatem biantis. Cupit commoditatem, honorem quærit, voluptatem affectat; tu verò Dulcissime Deus, commoditas mea es, honor meus, & castissima voluptas fatigati cordis mei. Recordor dixisse te: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Propterea fidelissime Domine, clamabo ad te, multis laboribus oneratus, vt me fessum visites, atq; soleris. O sanitas mea, quam concupiscit anima mea; sine me attrahere te, vt arctissimo complexu, te mihi sedulus adstringam.

Frustra laboro, quamdiù te non quæro. Propterea quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Credidi enim infinitè perfectam esse pulchritudinem tuam, quá corda capis atq; permulces; qua prosperè procedis, & regnas: & ob id speciem tuam, & decorem vultus tui affectabo.

ctabo. O elegantißima forma, quando fruar te? Ne obsecro repellas me Suauißime Deus ab vnione tua, & ne languentem spernas seruum tuum. Areo enim more terræ, quæ desiderat imbrem. Effunde ergo Clementißime Deus, largam super me benedictionem de rore cœli, & de pinguedine terræ; de terra inquam viuentium, in qua beati potantur torrente voluptatis tuæ, & satiantur ab vbertate domus tuæ. O Clarißime ac Speciosißime Deus, cuius desiderio languet anima mea. Vnam petij à te, & tametsi repellas, hanc requiram, vt inhabitem in domo tua, omnibus diebus vitæ meæ. Vtinam dirumperes cælos, & ad me descenderes, vt durities mea liquefacta deflueret, & amore tuo totus ignitus, inenarrabilibus te gemitibus inuocarem. Desidero enim exorare te, & cor tuum non meritis, quibus careo, sed clamoris improbitate mulcere. O Rex Pacifice, cuius vultum desiderat vniuersa terra, cui tributa reddunt Reges vniuersi, in dies & horas singulas, cupio tibi rependere tributum cordis mei. Suscipe illud, precor te, & repone in thesauris domus tuæ Nonne tu apponis erga homines cor tuum, ad hunc certè finem Domine, vt cor ipsorum propinquum fiat cordi tuo? Ineamus ergo pactum huius propinquitatis Deus meus; & com-

modabo

modabo tibi cor meum, omnibus diebus vitæ meæ. O Domine, si exaudires votum meum, & dares mihi sterili sexum virilem amoris tui, quem requiro; nouacula non ascenderet super caput meum, & præcordia mea consecrarem tibi. Vsquequo Domine silebis, & sitientem animam extabescere patieris? Grauior enim mihi cruciatus est, sine te viuere, quàm tecum mori.

Heu quis mihi det, pulcherrime Fili Dei, vt ego moriar pro te? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, & cogor isthic viuere, vnde mallem abesse: & à te abesse cogor, cum quo tantoperè cupio permanere. O dilectissime, cur siles, & te non audire simulas? Ergóne, cùm diuinitate vbiq; præsens sis, esurientem animam meam, fame torqueri patieris; cùm abundes panibus, & illam sine iactura diuitiarum tuarum enutrire ac saturare queas? O Rex, & homo diues, qui fecisti cœnam magnam, & inuitásti multos, & inter eos inuitásti me; quid est hoc, quòd nolentes rogare, & volentes videris arcere? Nunquid diligis eos qui te oderunt, & odisti eos qui diligunt te? Certè vtrósq; in finem dilexisti, & cùm adhuc inimici essemus, gratis pro nobis mortuus es. Quantò ergo magis nunc tibi reconciliati, ab iracundia tua salui erimus per te? O castissime

Fili Dei, huius reconciliationis ego fructum experiar. Decerno enim requiem nō dare oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniā tibi locum, vbi quiescat anima tua.

Noui casta corda, & in mundi neglectu generosa, tibi requiem conciliare. Expurga ergo vetus fermentum à corde meo, & ingredere in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. O pax quæ superas omnem sensum, seda procellas meas, & statue illas in auram; in cuius sibilo audiris, Tranquillißime ac Mitißime Deus animæ meæ. Et ego tibi deuoueo, & nunc trado cor meum, vt nunquam illud mihi reddas, sed tu pro corde in me recondaris, vt motu & calore tuo viuam, ô dulcißima vita animæ meæ.

Huiusmodi motus, & variæ in Deum aspirationes, tantoperè cor emolliunt, & ardentissimis desiderijs inflammant, vt vix credi possit, quàm citò (vt experti docent) anima Dei sensum concipiat. Quòd si adeò interdum langueat, vt eas aspirationes nequeat nisi ægrè producere; aliqua pia meditatione vtendum est, quoadusq; cor meditando incalescat, & mox ad aspirationes redeundum. Quòd si nec meditatione cor excitetur, non propterea

propterea est desistendum; sed sic difficulter agendo perseuerandum est, donec probata fide victoria cor potiatur.

Breuiùs adhuc Orationes Eiaculatoriæ hoc modo concipi possunt.

DOmine Iesu Christe, nouerim me, nouerim te. Tu es summum & vnicum bonum meum, amor meus, cor meum, spes mea, refugium meum. Amem te mi Iesu, solùm propter te, & nihil aliud amem præter temetipsum. Humilier, patiar, moriar amore tui. Totus sim tuus, nullus alter sit meus. Nihil aliud velle, nihil quærere volo, nisi te. O suauissimum animæ meæ centrum, te toto mentis affectu diligo, te quæro, & de infinitis tuis perfectionibus vnicè gaudeo. Omnes te creaturæ laudent in perpetuum, tibi vni famulentur; tu enim solus es, qui es. Ah quàm ingratum me tibi semper exhibui. Vtinam mortuus potiùs essem, quàm te offendissem Vtinam sanctissimam tuam voluntatem in omnibus quæsiuissem. Certè me ex corde pœnitet omnium peccatorum, quæ vnquam commisi; & auersor, quicquid tibi displicet. Amodò me tibi totum do, dico, consecro; & propter te aduersa omnia libentissimè sustinere volo. O sempiternum & infinitum bonum meum,

meum, perfice in me amorem tuum; mihiq; concede, te semper vnicè diligere, & in eo statu viuere, in quo te nunquam offendam, imò tuum beneplacitum exequar, proximosq; meos ex corde amem: & gratiam Domine Deus mihi præsta, vt fœlici & sancta morte ex hac vita decedam, tuaq; ineffabili visione perfruar. Amen.

CAPVT XI.

De modo faciendi disciplinam.

DIrectio erit huiusmodi: *Domine mi infinitæ Maiestatis, cedat ad gloriam tuam hæc disciplina, quâ corpus meum, tot grauissimis peccatis obnoxium, castigare volo. Offero eam diuinæ Maiestati tuæ, in vnione acerbissimæ Passionis Vnigeniti Filij tui Domini & Redemptoris mei, vt tibi gratior sit, cedatq; in satisfactionem pro peccatis meis.*

Similiter te Beatissima cæli Regina obsecro, vt oblationem hanc, quā tibi placere desidero, Diuinæ Maiestati, in vnione pœnarum tuarum offerre digneris.

Fiet autem, cum magnâ modestiâ & pudicitia, breui illo tempore, viuâ Christi Domini nostri columnæ alligati, & flagel-

flagellati repræſentatione, corpus mortificando. Et quidem caro ferox & rebellis, caſtiganda & ferienda eſt in ea parte, vbi magis ſentit: quemadmodùm boni & Zeloſi Chriſtiani, ſumma Dæmonis confuſione, maximoq; ſuo merito faciunt. Quare is qui diſciplinam facit, hoc curabit; vt in diuerſis locis, quoad valetudo fert, percutiat; ſic enim dolor maior erit: vnius namque plagæ continua verberatio, ſenſim doloris ſenſum minuit; imò & ictibus aliquot inflictis, dolor planè euaneſcit, & reliquū diſciplinæ parui eſt meriti. Quibus omnibus peccatorum Contritio, actuſq; Amoris Dei adiungendus eſt.

CAPVT XII.

De modo, quo ſe gerere debet is, qui reprehenditur.

DIrectio erit huiuſmodi: *Domine mi Clementiſsime, admonitus ſum de peccatis meis, & inde commoueor. Da mihi obſecro hanc gratiam, vt ſumma manſuetudine & gratitudine, nullá præuiá excuſatione, aut faſtidij vllius demon-*

demonstratione, reprehensionem acceptem, eosq; qui me corripiunt, diligam, ac vt per medium hoc me emendem, quatenùs oculis tuis sim gratior.

Tuq; Beatissima Virgo, in hac eadem intentione mihi suffragari digneris, vt tibi per patientiam magis placeam; mihiq; à filio tuo dilectissimo impetra, vt si fortè partem inferiorem propter hæc & alia obmurmurare contingat, non mærore deijciar, quòd debilitatem illam & carnis rebellionem experior; sed interiùs me humiliem, & exteriùs singularem dulcedinem, gratitudinemq; erga correctorem ostendam.

CAPVT XIII.

Quid faciendum ad sonitum Horologij.

DVm horologium auditur, dicent: *Omnipotens faustam donet mortalibus horam. Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria.* Dolebuntq; de imperfectionibus horâ præteritâ admissis, ac emendationem proponent; curabuntq;, vt sequenti hora, aliquem in bono profectum faciant. Quòd si aliquem actum bonum peregerint, Deo gratias agent. Maximè verò supre-

ſupremā mortis horā, à qua tota dependet æternitas, Domino Deo, Beatiſſimæ Virgini, & Patronis; præcipuè verò Angelo Cuſtodi idētidē pro deuotione cōmendare ſtudebunt, & à Deo miſericordiam per vulnera ipſius Sanctiſſima enixè poſtulabunt, vt illorum peccata dimmittere, & à tot periculis eos præſeruare dignetur.

CAPVT XIV.

Quid inter Confeßionem faciendum?

COnfeſſionem facturi, eam ad pauca verba, & feruentem affectum reducent. Priuſquàm verò Confeſſarium adeant, mentaliter ad Chriſti IESV pedes ſe prouoluent, ſuppliceſque petent veniam admiſſorum delictorum, cum vehementi Cōtritione, & propoſito firmiſſimo emendandi vitam ſuam: cui etiam quàm humillimè ſupplicabunt, eis vt intellectum aperiat, ad recogitanda peccata, cum amaritudine animæ ſuæ. Tum examen particulare inſtituent, circa cogi-

ca cogitationes, verba, opera, & omissiones; Numerum, Speciem, & Circumstantias peccatorum mortalium deliberatè admissorum (quoad fieri possit) enucleatè, integrè, & distinctè examinando, & explicando.

Quòd si per erroneam conscientiam aliquid admiserint, putando id esse peccatum mortale, quod vel veniale, vel nullum erat; vel dubitando, an forte letale peccatum esset (in tali enim casu peccatum mortale incurritur) Circumstantiam hanc Confessario aperient.

Priusquàm verò ad Confessionem accedant, poterunt hanc, vel similem directionem instituere. *Domine Deus, Creator ac Redemptor meus; ego me ad Confessionem dispono, vt anima mea purificetur, ac Maiestati tuæ magis placeat. Vellem Diuæ Mariæ Magdalenæ, omniumq; Sanctorum pœnitentium, qui fuerunt à principio mundi, Contritionem habere, vt hunc actum perfectè ad gloriam tuam exercere possim. Da mihi Clementissime Domine gratiam partesq; requisitas, vt hanc Confessionē pro tuo beneplacito exequi valeam.*

Similiter tibi Beatissima Virgo supplico, vt tuo fauore

tuo fauore me adiuues, quatenus hunc Pœnitentiæ actum, quo tibi placere desidero, perfectè exequar.

In ipso ad Sacerdotem accessu, quàm maximè se humiliabunt, hosq; aut similes, secundùm quòd Deus dederit, Contritionis actus elicere satagent; vel maximè eo tẽpore, cùm Cõfessarius ipsam Absolutionis formulam pronunciat: tũc quippe opportunum est tempus, eò maioris gratiæ recipiendæ, quò maior erit dispositio.

ACTVS CONTRITIONIS.

CLementissime Domine Deus, peccaui in cœlum & coram te; propitius esto mihi peccatori, & fac, vt culpas agnoscam, seriò de illis pœniteam, & remedijs efficacibus peccata omnia expiẽ.

O Domine Mansuetissime, infinitè peccata mea detestor, eo quod bonitati tuæ aduersentur, & tibi displiceant; voluissem sanè mille mortes subijsse, quàm vel vnum peccatum etiam veniale admisisse.

Ex omnibus viribus meis Domine, peccata

peccata mea propter te deteſtor, & abhorreo; quòd fœdiſſima ſint, & pulchritudini atq; amori tuo contraria.

Mille potiùs, ô Domine Miſericordiſſime, impendam vitas, quàm poſthac vlli peccato etiam veniali conſentiam; eò quòd tibi diſpliceat.

Non ampliùs te Amantiſſime Domine offendam, etiamſi me omnia creata perdere, omneſq; præſentis vitæ cruciatus perferre oporteat.

Iterum iterumq; Domine Deus meus, cui multis de cauſis me totum debeo, deteſtor omnem vitæ anteactæ turpitudinem propter te; ac firmiſſimè propono, tibi me ſemper ac per omnia famulaturum.

Millies adhuc, imò centies millies, ad Miſericordiam tuam, & Paſſionem acerbiſſimam Chriſte IESV confugio, veniamq; ſupplex peto, mihi ignoſce.

Certè me peccaſſe ex toto corde pœnitet, & peccata propter amorem tuum Deus meus deteſtor.

Amo te ſuper omnia, firmiterq; propono, me ampliùs nunquam diuinam tuam Ma-

am Maiestatem & Bonitatem offensurum, & occasiones omnes peccatorum deuitaturum.

Et in satisfactionem de peccatis admissis, confugio ad Passionem tuā amarissimam, & ad merita Beatissimæ Virginis, omniumq; Sāctorum: Tibi quoq; DEVS omnes actiones meas, & vitam in posterum offero, & firmissimè in Misericordia tua & Bonitate infinita spero, quòd per sanguinem tuum preciosissimum, & mortem amarissimam, mihi condonabis omnia peccata mea, & gratiam conferes, quâ vitam in melius mutare, tuam voluntatem exequi, tibique vsq; ad finem obitus mei, cum perseuerantia perfecta, iuxta tuum beneplacitum seruire possim.

Oro te mi IESV, suauissimum cordis mei centrum, vt in posterum vtaris me, velut mancipio tuo; nec patiaris per sanguinem tuum preciosissimum, me à plena & perfecta mandatorum Dei obseruatione degenerare.

Quòd si aliquid irrepserit præter intentionem meam, aut per imprudentiam, Di-

am, Diuinæ tuæ voluntati aduerſū; proteſtor, me illud nullo pacto admiſſurū.

Condono item amore tui ex corde omnes offenſas, quibus fortè læſus ſum, à quocunq; proximorum meorum; & omnibus, erga quos deliqui, propono ex animo me ſatisfacturum.

Proteſtor denique Amantiſſime Domine, me id ſolùm velle, quod tu vis; contrarium autem intimè & vehementiſſimè abominor.

Benedic me Clemētiſſime Deus, corq́; meum tanquam rem tuam poſſide, quod tibi in vnione Sacroſanctæ oblationis, quâ teipſum pro nobis, à primo Sanctiſſimæ Incarnationis inſtanti, ad mortem vſq; Crucis Patri immolâſti, offero. Da mihi Domine tuum amorem, & me ab hoſte maligno defēde; vt te ſolum quæram, & toto mētis meæ affectu diligam.

Actus hi Cōtritionis frequenter exerceri poterunt; quia ſi debito modo fiant, & defectus futurus ſit Confeſſarij, in momento peccatorem, quantùmuis grauiſſimis peccatis obſtrictum, priſtinæ gratiæ reſtituent; modò propoſitum cō-

fitendi

ſitendi intercedat. Sunt tamen cum ſeruore concipiendi, & non ſolùm ore, ſed etiam ſpiritu proferendi : vt Contritio vera, realis, & ex amore Dei procedat.

Hac de cauſa, quicunque proficere vult, magnam diligentiam adhibebit, vt Contritionis motiua habeat, & voluntati ea repræſentare nôrit: qualia v. g. ſunt, cùm præparat ſe ad Confeſſionem, Dei Pulchritudinem, Bonitatem, Suauitatem, Miſericordiam, &c. animo voluere; quibus attributis ipſum peccatum aduerſatur, ac propterea debet odio haberi.

Deinde; Diuinæ gratiæ, charitatis, aliarumq; virtutum peccato contrariarum pulchritudinem proponere debet; peccatum verò ob contrariam turpitudinem execrari.

Ad hæc; damna ab inimicitia Dei, & Sanctorum promanantia, necnon alios peccati effectus, in memoriam reuocare debet: quomodo v. g. reddat hominem Dæmonis mancipium, atq; æternæ pœnæ & infamiæ reum; necnon alia grauiſſima

uiſſima damna, quæ conſequuntur ex eo, quòd creatura aliqua extra Dei ſui, & Creatoris gratiam conſtituatur.

Modò ergo per hoc, modò per aliud ex ſupradictis motiuis, aliaſq; eius generis conſiderationes, peccati deteſtatio concipienda eſt; ſemper tamen ad motiuum principale ac ſublime, amoris ſcilicet Dei aſcendendo: & hoc iam cõcepto affectu, Contritionis actus ſunt eliciendi: iſtis enim mediantibus, & ſi alioquin non fluant lachrymæ, aut ſenſibilis dolor intercedat, modò vera illa ſit voluntatis diſpoſitio, Sacramenti fructus minimè perditur.

CAPVT XV.

De modo Communicandi.

COmmunicaturi, hoc vel ſimili modo mentaliter orabunt: *Domine mi Amantiſſime, ego te hodie in anima mea & corpore ſuſcipere debeo; vellem habere munditiem infinitam, vt dignum maieſtatis tuæ habitaculum eſſe poſſim. Fac ô Domine, vt tuâ gratiâ purificer, meq; tibi arctiſſimè hoc actu vniam, quem ad gloriam tuam exercere volo.* Simili-

Similiter te Gloriosissima Virgo in adiutricem inuoco, vt dignè Sacramentum hoc & panem vitæ, cuius receptione animæ tuæ placere desidero, sumere queam.

Factâ directione, Humilitatis Actus exercebunt, agnoscẽdo suam miseriam, vilitatem, & indignitatem; ac singularem gratiam, quam eis Dominus exhiberevult perpendent, quando ipse non dedignatur abiectissimum cordis hospitium ingredi. Flagrans quoq; desiderium suscipiendi Christum, DEVM ET HOMINEM PRO NOBIS PASSVM ET CRVCIFIXVM, in anima sua excitabunt; ac demùm multos Fidei, & Spei, & Amoris Actus, sequenti forma exercebunt. *Altissime Domine Deus, & Redemptor meus: Ego sum creatura vilissima, indigna quæ bestijs tuis cohabitem; & tua Infinita Bonitas mihi vult gratificari, misericordiâ tàm inæstimabili, vt habitaculum suum in anima & corpore meo ponat? Nescio quid aliud Domine mi Amabilissime agam, quàm vt pondus infinitum Maximæ huius Misericordiæ sentiam, eamq; omnibus viribus meis desiderem.*

Firmissimè credo; Maiestatem tuam, Verum DE-

rum DEVM, *verumq́; hominem in hoc Sacramento realiter esse, ac pro ea confeßione, mille si haberem vitas darem.*

Indubitanter quoq́; spero; me virtute Diuini huius Sacramenti, eo modo confortatum iri, vt ad desideratum vitæ æternæ finem perueniam.

Ego me tibi Domine Clementißime sacrifico, & cordialiter offero: da mihi gratiam, vt in ista Communione, ad animarum in te transformationem destinata, cum Maiestate tua meum cor vniam.

Desidero, ô Infinitum bonum meum, te in cordis mei recipere penetralia; cuperemq́; habere munditiem infinitam, quâ te attraherem, vt in æternum in anima mea habitares.

Hæc præparatio potest & debet pro temporis ratione amplificari; cui par esset aliquam pœnitentiam moderatam pridiè Communionis, iuxta arbitrium Confessarij præmittere.

[*Quòd si tempus ferret; hæc paulò prolixior præparatio, fructuosè posset ac deberet, ipso die Communionis adhiberi.*]

Duo fieri solent, vt Princeps aliquis dignè, prout decet, in palatio excipiatur. Primò; eliminanda & auferenda sunt è

ſunt è domo omnia illa, quæ tali Princi-pi minimè conueniunt. Deinde viceuerſa; præparanda ſunt ea, quæ tali Principe digna ſunt. Hac de cauſa, cùm ego te Domine Altiſſime IESV Chriſte, omni reuerentia & amore digniſſime, domi meæ debeam excipere; Spiritus tui auxilio & inſpiramine, cordis mei habitaculum, diuerſorium tuum, ab omni ea re volo expurgare, quæ me à te alienet; cōtra verò ijs inſtruere rebus, quæ ad me tibi vniendum, & ſuauiſſimo cordi tuo, quod verum animæ meæ reclinatorium eſt, placendum conducunt.

Et quoniam certò noui, omnia domus huius tuæ, quam tibi ſoli conſtruxiſti, impedimenta & offendicula, per ſenſuum tum exteriorum, tum interiorū portas & feneſtras ingredi; ideò hoc manè ſummo ſtudio, omnem rerum mundanarum ſpeciem & imaginem à me repellere connitar, vaſa hæc mea ab omni re alia euacuando, vt teipſo, ceu balſamo puriſſimo, quod medullas meas penetret repleantur.

Vnde à ſuperiore animæ meæ parte, in qua

in qua tu reipsâ in æternum habitare desideras incipiens; ecce propter amorem tuum, & quia Dulcissimæ animæ tuæ voluptatem aliquam adferre volo, aliud quodlibet abigo (prout mihi possibile est) à memoria, intellectu, & voluntate mea obiectum, præter te solum: adeò vt præter te, Sponse Dilectissime & Suauissime, & super omnem pulchritudinem Pulcherrime Fili Dei, & vera animæ meæ satietas, bonũ aliud memoriâ voluere, intelligere, & amare nolim.

Sed quoniam pars animæ superior, quam in templum ipse tuum elegisti, vt in ea tibi sacrificem hostiam laudis, continuò incessanterq; ab inferiori portione, & inprimis ab inquieta imaginatione mea, vbi naturalis inconstantia est, oppugnatur & disturbatur; imò te permittente, Cacodæmon mille in illa tempestates ciet, & mihi quas nollem cogitationes intrudit; hinc ô Desideratissimum cordis mei Bonum, protestor & confiteor, aliud me cogitare & imaginari nolle, aut mihi aliud quid repræsentari, quàm pulcherrimum vultum tuum:

tuum: ad quem viſcerum meorum deſideria dirigo, & auxilium contra hoſtes meos, ac propriam ipſorum vanitatem feruenter emendico.

Deniq;, quoniam ſenſus exteriores primæ ſunt ianuæ, per quas mors ingreditur; equidem propter nomẽ tuum, aliud videre, audire, guſtare, vel tangere bonum nolo, quàm te ſolum: firmiterque ſtatuo, hiſce ſenſibus omnia prorſus negare, quæ hoc in mundo aliquam ijs afferre voluptatẽ poſſũt, vt te Infinito ſuo Bono, quod neſciunt, ſolùm paſcantur.

Abſint procul ab anima & corpore meo, non ſolùm omnia alia bona in ſe, verùmetiam ipſæ circa eadem verſantes cogitationes & vmbræ; idque propter amorem, & infinitam gratiam, & pulchritudinem tuam, ô Ditiſſime animæ meę theſaure; cuius realem præſentiam, diuerſorium hoc tuum, cor inquã meũ, maioribus & inflammatioribus, quàm gratia tua adiutus concipere poſſim, deſiderijs expectat.

Ecce igitur, ô requies & refrigerium, ſpes & æterna ſalus mea (quantùm ad volun-

voluntatem quidem meam, gratiâ tuâ adiutam ſpectat) domũ tuam & meam, hoc modo expurgari volo. Vtinam verò eo illam ornamento, quod oculis tuis gratiſſimum excogitare poſſem, condecorare liceret.

Sed quoniam nullum ornamentum oculis tuis gratius eſſe ſcio, quàm aliquot virtutum actus, tibi prout ſub Speciebus Sacramentalibus in Euchariſtia latitas appropriatos exercere; dabo operam, vt eoſdem ex amore tuo potiùs, quàm ob proprium quæſtum & vtilitatem meam exequar.

Vtq; à Fide incipiam, quam tu Domine mi Dilectiſſime, in hoc Maximo Fidei Myſterio exerceri à nobis voluiſti; *Firmißimè credo, te Dominum Deum meum Infinitæ Maieſtatis, in admirabili hoc Sacramento, Deum ſimul & hominem perfectum contineri, tam magnum ac potentem, atq; in cælo es; ſimul & alia omnia, quæ de Altißimo hoc Sacramento Sancta & Catholica Eccleſia credit: paratus vitam meam, quin vniuerſa mundi bona, in Veritatis huius Diuinæ Confeßionẽ impendere.*

Certißimè ſpero Domine, & amice fideliſsime, per

me, per Sacramenti huius vitalissimi virtutem, æternæ me gloriæ compotem fore, teq́ in sempiternum fruiturum; quamuis etiam omnia solus peccata commisissem, quæ iam inde vsq; à mundi exordio, non modò ab hominibus sceleratis, verùm etiam à Dæmonibus sunt commissa.

Sed inprimis amare te ex toto corde meo volo, Suauissime animæ meæ Sponse, qui cum tanta amoris significatione hodie ad eam venire optas, quô te ei arctiùs vnias, & Suauissimum Charitatis ignem in ea accendas. Veni ergo ad me, ô verè Dulcissime animæ meæ Sponse, ô salutis meæ amantissima anima, ô cor ardentissimum, & salutis meæ cupidissimum; ingredere velut absolutus Dominus in domum tuam, & omnipotenti amoris tui imperio, imperiosè eã gubernato. Vellem equidem, ô Pulcherrime Fili Dei, hodie tam potenter à te trahi, vt mea in tuam anima transformaretur, & tu posthac mea esses anima, & vita mea amabilissima, & vnica cordis mei afflicti confortatio & refectio.

Trahe me ad te, ô Gratia infinitè attractiua, quæ cœlum simul & terram, ad te ineffabili quadam trahis voluptate, quæ à pulchritudine tua nascitur; quia ardentissimè tibi ita vniri desidero, ne in æternum à te separer. Dignare ô tranquil-

lißima requies, cor mundum in me hodie creare, in quo aliquam tu recreationem inuenias; & ego mille tibi, omnibus diebus vitæ meæ, hostias laudis sacrificabo, propter huius templi encænia & renouationem. Ecce cordiali quodam desiderio, omnes tibi animæ meæ portas aperio, & de profundo cordis mei ad te, ô Amor gratiosißime clamo; vt ad me venire, & vsq; ad penetralia medullarum, & cordis mei centrum transire, & tuam in hoc reclinatorio tuo Sedem stabilire digneris: te enim & sitio, & esurio; vnde semel ita te satiari vellem, vt posteà nō ampliùs esurirē.

Quis mihi det, vt hodie omnes vires, & omnia interiora mea mihi violenter eripiantur; & ego tua sim præda, ô mitißime cordis mei Sponse? Vtinam, ô infinitum bonum meum, multa huiusmodi hodie in me spolia inuenires, quibus ditatum cor tuum recrearetur, & aliqua delectatione perfunderetur. Idcircò omnia creaturarum, quæ in cœlo & in terra tibi placent, corda habere vellem, eaq; etiam à te peto: sub quibus Matris Tuæ Purißimæ, quæ amore tuo inflammatißima fuit, & omniū Beatorū Spirituū mētes cōprehendo: è quibus omnibus, immensum quoddā conflans incendium, meipsum vnà cum innumeris cordibus gratißimis, hodie in habitaculum tibi offero, vt

fero, vt me dulciſſimâ humanitatis tuæ præſentiâ viſitare digneris. Hæc ſunt, ô lucidiſſimum oculorum ſpeculum, deſideria mea; hæc vnica, ô viſcerum meorum Sponſe, hæreditas mea. Atq; idcircò (tametſi hoc propoſitum ſit pro tota vita mea) particulariter tamen, vt ad me libentiùs hoc manè accedas, quoties reſpirabo, te deſiderare, te inuocare, & cor meum tibi in hoſpitium offerre conſtitui; vnâ cum ſupradictis actibus, & beatâ vnione tot cordium, quæ habere vellem, quò ea tibi, ô corona æterna & merces mea, ſacrificem.

Hi vel ijs ſimiles Actus Amoris, pluſquàm ſemel concipi poſſent; ſenſum & affectum, quem verba illa requirunt, ijs applicare ſtudendo; illoſq; & plures alios, quos Dominus ſuggerere dignabitur continuando, donec Sanctæ Communionis tempus aduenerit.

Vt verò in promptu habeantur ea, quibus aliquis ad ingenerandam in animis reuerentiam erga SS. Sacramentum excitetur; placuit quaſdam Conſiderationes, ante & poſt Communionem, per modum Meditationis vſurpandas, vnâ cum aliquot Orationibus adiungere: vt

pro commoditate, Spiritu, & deuotione, (non ſine tamen delectu) à perſonis Spiritualibus exerceantur.

MEDITATIO ANTE *Communionem.*

O Anima mea, annuncio tibi gaudiũ magnum. Gaude & lætare, quia venit ad te Creator tuus, Pater & Sponſus tuus CHRISTVS IESVS, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum. Emũda ergo cordis tui habitaculum, ad tantum hoſpitem excipiendum, occurre illi cum muneribus.

Sed quid offeram tibi ô Bone IESV? quid à me vis habere, qui omnia habes? Si me totum dedero, quantulum id eſt? niſi fortè (quod alias facere aſſoles) cor meum petes? Sed illud ego tibi offerre non audeo; eſt enim immundũ, fœtidũ, & tuo planè indignum aſpectu. Quòd ſi omninò dari tibi illud vis, offero libenter, & non ſolùm illud, ſed & meipſum, quantuſcunq; ſum, totum dono. Scio enim, quòd me puriſſimo ſanguinis tui balneo, quod mihi in hoc Sanctiſſimo

Sacra-

Sacramento paratur, abluere potes. Accipe igitur me totum Suauissime IESV, & te totum dona mihi.

Sed quid ego sum Benignissime IESV, vt desiderio apud me manendi tenearis? Vnde hoc mihi, quòd tu Creator & Redemptor meus, ad me creaturam perditam venias? Quid est ô IESV Dulcissime, quòd sic te mihi communicas? Tu quis es, ego nihil; tu Sanctitas ipsa & Bonitas, ego impietas & flagitium; si corpus considero, quid nisi putredo sum & cinis? si animam specto, quid est nisi exul cœli, gehennæq; titio? Si vitam dispicio; inuenio illā flagitijs grauē, maculis deformem, mortiq; æternæ proximam.

Si S. Ioannes Baptista, in vtero matris sanctificatus, vir tantus & tam admirabilis, non reputat se dignum, qui te tangat, aut soluat corrigiam calceamenti tui. Si S. Petrus Apostolorum Princeps, præsentiam tuam in nauicula sua extimescens, dicit: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Si Centurio indignum se ducit, sub cuius intres tectum; quomodò ego totus in peccatis natus, audebo

 te non

te non dicam tangere, ſed etiam in me accipere & manducare? O flos campi, ô lilium conuallium, Panis Angelorum, quomodo nunc à beſtia manducaberis? quomodo qui paſceris inter lilia, paſcui locum apud me inter ſpinas & tribulos inuenies?

Sed memini Domine, quia meretricē ſuſcepiſti, quia cum peccatoribus manducâſti, quia gratiores tibi multò fuerūt Magdalenæ lachrymæ, quàm Phariſæi epulæ. Ideò ad te venio alacris, & bonæ ſpei plenus; quòd qui meretrices & peccatores non reieciſti, nec me repudiaturus ſis.

Quarè, ô Bone IESV, ô amor meus, vita animæ meæ, æternum bonum meū, accipe me tibi, imò coniunge per hunc myſticum panem, quem ſumere, quem in me accipere ardeo. Vt quid ergo de tua Miſericordia Bone IESV diffidam? cur ad menſam tuam accedere refugiam? in ea enim pharmacum ſalutis, Antidotum contra omnes infirmitates meas potentiſſimum mihi porriges. In ea propinabis mihi vinum, quod germinare

facit virgines, quod ſerpentes interimit, quod vitam mortuis reſtituit. In ea ſi infirmus fuero, confido me ſanandum; ſi viuus, magis viuificandum; ſi mortuus, ad vitam reuocandum; ſi tepidus accendendum; ſi ardens, inflammandum; ſi nudus, veſtiendum; ſi ſordidus, abluendum; ſi pauper, ditandum. Veni ergo Domine, oſtende mihi faciem tuam, ingredere in domum meam; dicas, quia ſalus facta eſt domui meæ: & cur non Salus illi fiat, cùm ad eã Saluator accedit?

Oratio ante Communionem.

O Dulciſſime atque Amantiſſime Domine IESV Chriſte, quem hodie deuotè deſidero ſuſcipere; tu ſcis infirmitatem meam, & neceſſitatem quam patior, in quantis malis & vitijs iaceo, quàm ſæpè ſum grauatus, tentatus, turbatus, & inquinatus. Pro remedio ad te venio, pro conſolatione & ſubleuamine te deprecor. Ad omnia ſcientem loquor, cui manifeſta ſunt omnia interiora, & exteriora mea. Tu qui ſolus potes me perfectè conſolari & adiuuare, ſcis

quibus bonis indigeo præ omnibus, & quàm pauper ſum in virtutibus. Ecce ſto ante te, gratiam poſtulans & miſericordiam. Refice eſurientem mendicum tuum, accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cœcitatem meam claritate præſentiæ tuæ. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia grauia & contraria in patientiam. Erige cor meum ad te in cælũ, & ne dimmittas me vagari ſuper terram. Tu ſolus mihi ex hoc dulceſcas vſq; in ſæculum, quia tu ſolus cibus es, & potus meus, amor meus, & gaudium meum, & dulcedo mea. Vtinam me totaliter ex tua præſentia accendas, & comburas, & in te tranſmutes; vt vnus tecum efficiar Spiritus, per gratiam internæ vnionis, & liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me ieiunum & aridum à te recedere; ſed operare mecum miſericorditer, ſicut ſæpiùs operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter. Quid mirum, ſi totus ex te igneſcerem, & in meipſo deficerẽ? cùm tu ſis ignis ſemper ardens, & nunquam deficiens; amor corda purificans, & intellectum illuminans. Pote-

Poterunt etiam Rythmum istum dicere.

ADoro te deuotè latens Deitas,
Quæ sub his figuris verè latitas.
Tibi se cor meum totum subijcit,
Quia te contemplans totum deficit.
Visus, gustus, tactus, in te fallitur,
Sed auditu solo tutè creditur.
Credo quicquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis veriùs.
In Cruce latebat sola Deitas,
Sed hîc latet simul & humanitas.
Ambo tamen credens atq; confitens,
Peto quod petiuit latro pœnitens.
Plagas sicut Thomas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis verus, vitam præstans homini.
Præsta meæ menti de te viuere,
Et te illi semper dulcè sapere.
Pie Pelicane IESV *Domine,*
Me immundum munda tuo sanguine.
Cuius vna stilla saluum facere,
Totum mundum posset omni scelere.

IESV

IESV *quem velatum nunc aſpicio,*
Quando fiet iſtud quòd tam ſitio?
Vt te reuelatâ cernens facie,
Viſu ſim beatus tuæ gloriæ. Amen.

Circa ipſam Communionem breuiter ſubiungent: *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed tu Domine, qui dixiſti:* Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo; *propitius eſto mihi maximo peccatori, per ſumptionem Corporis & Sanguinis tui; & præſta, vt non ad iudicium damnationis illud ſumam, ſed miſericordia tua tribuente, in ſalutem & remiſsionem omnium peccatorum meorum. Amen.*

Dum ad ipſam ſumptionem peruentum fuerit; cum maximo ſe IESV Chriſto vniendi deſiderio, ad Communionem accedent: conſiderando; ſe Dominum Altiſſimum, & Creatorem ſuum ſumere. Vbi magna erit ſeruanda modeſtia, nulloq; modo Actus clamoroſè exercendi; ſed compoſitione ac verecundia quadã virginali perſeuerandum. Tunc ergo ſubſiſtent paululùm, nec ampliùs labia mouebunt, aut vocaliter orabunt: nam

ſic Sacerdotem impediunt, qui vix talibus, ſine periculo in terram decidendi, Sacram Synaxim porrigere poteſt. Interimq; corde tantummodò precabuntur, & maximoperè ſe cum Publicano humiliabunt. Neq; etiam poſt Sanctiſſimi Sacramenti receptionem terram oſculabuntur; ſed ſimul ac Sanctiſſimam Eucharistiam ſumpſerint, grates rependent hoſpiti DEO, quòd dignatus ſit ad ipſos venire; vnionemq; perpetuam poſtulabunt, & indiſſolubilem cum ipſo charitatem. *Quod facient hoc vel ſimili modo:*

DOmine mi, Infinitæ Bonitatis & Magnitudinis, qui ad me Creaturã adeò vilem venire dignatus es; quomodò gratum me pro hac miſericordia exhibebo? Si ſolus ego omnia Angelorum & Sanctorũ, in cælo & in terra corda poſſiderem, omnibuſq; illis Diuinam tuam Maieſtatem laudarem; vix minimam illius gratiæ, quam mihi exhibuiſti, partem adæquarem. O Domine mi Amabiliſſime, quàm immenſa eſt tua Bonitas & liberalitas? Ego te ſine fine ex omnibus viribus animæ meæ amo, vellemq; corda omnia

da omnia & linguas habere, vt te in æternum laudarem, Misericordiæq; tuæ magnitudinem decantarem. Cùm autem realiter vnius solummodò corporis animæq; sim Dominus; omne id quod possum & habeo, Maiestati tuæ Diuinæ, in recompensationem tuæ visitationis, dignè visceribus æternæ tuæ charitatis offero, & humiliter supplico, ne patiaris me vnquam à te separari, sed tecũ amore sempiterno, & hîc per gratiam, & in Regno cœlesti per gloriam frui. Amen.

[*Hanc gratiarum actionem, pro tempore & deuotione protendent. Simul verò beneficia aliqua petent, quibus magis indigent.*

Quibus commodum tempus erit, ita vt prolixiùs poßint se cum Christo Domino occupare; Sanctißimo recepto Sacramento, omnes facultates & sensus introrsum in vnum colligẽt, quò cum Domino, (qui realiter præsens adest, quamdiù Sacramentales species consumptæ non erunt) colloquantur; simulq́; duo prædicta copiosiùs facient; vel etiam vnum, prout affectus, qui cor magis tunc inflammabit suggeret: videlicet; Gratias agent Domino Deo; & aliquid ab ipso petent.

Gratias igitur agent, ob infinitum quod receperunt bonum. Petent autem varia beneficia à Domino illo liberalißimo, qui ideò venire dignatus est, vt omnia secum bona afferat, animamq́; sponsam suam, diuitijs Spiritualibus locupletet.

Quocircà vnusquisq́; Deo gratias agere poterit hoc modo.]

ECce Domine mi Amantissime, Infinitum cordis mei Bonum; ego tibi hodie in anima & corpore meo diuersorium dedi: sed digniorem habere locum voluissem, in quo Maiestas tua requieuisset: atq; hunc in finem omnia corda, quæ tibi tum in cœlo, tum in terra placent, desideraui & postulaui; ea habere cupiẽs, quô aliquam tibi, domum meam ingredienti, satisfactionem adferrem. Tu autẽ Dulcissime & Suauissime Sponse mi venisti, vt mihi benefaceres; etsi pauperrima ego creatura sim, & ne minimum intuitum tuum promerear, nedũ realem tuam præsentiam, quam mihi in Altissimo hoc Sacramento largiris, cum quo omnes mihi diuitias tuas communicas. Hac de causa iterum, omnia creaturarum cœlo terraq; tibi gratarum corda,

quinimò Puriſſimæ Matris tuæ Mariæ cor, tuam deniq; ardētiſſimam Charitatem mihi vellem dari; vt tibi per hæc agam gratias, ob immenſum beneficium, quod hodierna die de menſa tua accepi.

Vellem profectò iucundiſſima animæ meæ Vita, & amabiliſſimum gaudium meum, poſſe efficere, vt cunctæ tibi in æternum creaturæ, voce magna cantica laudum perſonarent; teq; ob immenſum hoc beneficium, quod hodie mihi, qui opus ſum manuum tuarum contuliſti, infinito amore diligerent.

Cuperem tibi mille & mille ſacrificare animas, tuo amore æſtuantes; vt in æternum, ardore quodam Seraphico, ob ſummam bonitatem, quam hodie mihi exhibuiſti, te amarent. Quid in gratiam tui faciam Splendor Diuiniſſime, & precioſiſſime penetralium meorum theſaure? quas tibi pro dulciſſima charitate tua, qua me proſequeris, vices rependam? Equidem ſummè pauper ſum, & nihil habeo quod dem, præter memetipſum, ardētiſſimis quibuſdam deſiderijs refertum, ô delicatiſſima animæ meæ dulcedo. Vti-

do. Vtinam totus propter te liquescam, & ab omnibus rebus creatis affectu separer; quô semper te intuear, te ex animo rogem, vt mihi voluntatem Sanctissimã declarare digneris, quatenùs eã deinde executioni mandẽ, etsi me in eadem adimplenda intermori oporteret. Equidẽ me totum tibi consecro; animam inquã & corpus, cogitationes, verba,& opera, idq; in gratiarum actionem; & toto vitæ meæ tempore firmiter propono, Dilectissime animæ meæ Sponse, nihil cogitare, loqui, vel operari vnquam, quod credam tibi displicere: & quotiescunq; respirabo, me tibi ô spes & refrigerium meum offero, teq; laudare & magnificare statuo: ea duntaxat intentione, vt tibi in æternum gratias agam. Sed ignorantia & stupor meus facere non potest, quod facere vellet. Atq; idcircò te quàm ardentissimè, per Dulcissimæ Matris tuæ viscera, cui nihil negare soles rogo; vt Suauissimis amoris tui catenis me vincias, meq; vinculis charitatis tuæ assiduè ligatũ teneas, quatenùs gratitudinis tributũ tibi persoluã; tametsi omnia respectu eorum,

eorum, quæ purissima & tenerrima anima tua promeretur, exigua futura sint.

[*Quantùm ad Petitionem spectat, notãdum est; tempus illud, quo Species Sacramentales adhuc integræ perseuerant, inprimis esse ad rogandum & impetrandum aptissimum: eò quòd Dominus Iesus venit, vt animam misericordia repleat, qui cum illa ita se gerit, tanquam ei soli singillatim audiendæ vacare, eiusq; solius desiderijs & postulatis, morẽ gerere vellet: cùm tamẽ alijs in locis omnibus se communicet, omniumq; vota audiat; nec animæ ac corpori ita intimè se associet, sicut coniungitur, quamdiù Species Sacramentales durant.*

Atq; ideò, qui Sanctissimum Sacramentum sumpsit, potest & debet magna cum fiducia postulare, ab omnibus malis liberari, omniaq; bona necessaria petere: v. g. *maius lumen internum, vt Deum diligat, mundum verò contemnat, eaq; omnia, quæ ipsum Deo chariorem & beatiorem reddere possunt consequatur, vsq; ad fælicissimi æternæ gloriæ status consecutionem. Inprimis autem opem & auxilium contra tentationes, à quibus tũ maximè oppugnatur, implorare debet; necnon gratiam, vt passiones, à quibus exagitatur mortificet; deniq; robur ad eas obtinendas virtutes, quæ*

tes, quæ sibi desunt; firmiter statuendo, Domino cooperari, & ad virtutum acquisitionem medijs consentaneis vti.

De quibus etsi certa aliqua & generalis statui regula non posit: qui tamen v. g. cognitum habet, se non amare, & hac in occasione, quando scilicet Christum Dominum in se præsentem habet, benè rem suam agere desiderat; hac aut simili formula Petitionem instituere poterit.]

Præsta ô Dilectissime Rex, & pulcherrime animæ meæ Sponse (qui in hunc mundũm ideò venisti, vt per dulcissimum charitatis imperium in hominum cordibus dominareris) vt ex toto corde meo, & omnibus animæ & mentis meæ viribus te diligam. Fac Domine Amantissime, vt in te solo, qui vita mea es viuam, meq; in te, affectu quodam purissimo amoris tui transforma. Viscera quoq; mea amore tuo delicato transfige, vt ad ipsas medullas vsq; perueniat, & mirabilem quandam spiritus & carnis meæ diuisionem faciat; vt semper posthac arctissimè tibi vnitus maneam, & frequẽtissimè ad te Domine mi desideratissimè accedere festinem; qui iubes, vt te dili-

te diligã, & in verbo hoc (Amor) omnia, quæ à me in lege tua obseruari mandas, comprehendisti. Mitte in me Domine dulcissimum illum ignem, quo cor tuum ardet; & da, vt omnibus in rebus aliud non quæram, quàm vnum te, qui vera animæ meæ tranquillitas & centrum es. Aliud ergo à te non requiro, quàm vt cor meum igne tuo æterno inflammes, tantamq; in me tui anxietatem ac sitim generes, vt nocte & die semper de te cogitem, atq; hæc cura perpetuò me exstimulet; quatenùs ita omnibus rebus & occasionibus vtar, nouasq; inuentiones excogitem, vt tibi per omnia placeam, omnesq; creaturas congregem, vt tibi seruiant, te ament, seque tibi perpetuo charitatis nexu & vinculo associent. Nôsti, ô Infinitum animæ meæ Bonum, quàm sim pauper & miser, nisi te amem; ex altera verò parte, tu infinitè misericors es, & ad benefaciendum propensissimus; idq; facere, si tibi placuerit, sine vlla difficultate ac damno tuo potes. Nôsti prætereà, me ingens hoc bonum non posse, nisi per donum & gratiam tuam obti-

am obtinere. Fac igitur mecum, ô lux & conſolatio cordis mei, prout & animæ tuæ placuerit, & neceſſitas mea poſtulauerit; & ego omnibus vitæ meæ diebus tibi ſatisfacere, teque in æternum glorificare ſtudebo.

Deniq; recitare poterunt Orationes ſequentes: præter alias, quas in promptu habere ſolent; ſi vacauerit.

ECce ô Pater æterne Filiũ tuum, quem ex Infinito Amore tuo, de cęlo in terram miſiſti, vt carnem humanam aſſumeret, in ſtabulo naſceretur, in Ægyptũ Herode perſequente fugeret, & in ſumma paupertate viueret. Ecce ô Pater, quanta in deſerto, in prædicatione, in profectione, in perſecutionibus Iudæorum paſſus ſit pro me. Audi blaſphemias, iniurias, contumelias, quas ab ingratis Iudæis ſuſtinuit. Vide traditum & venditum triginta argenteis. Eum offero tibi pro me ſanguineo ſudore perfuſum, Annæ traditum, ad Caipham ductum, ligatũ, conſputũ, colaphis cęſum, coronatum, flagellatum, crucis lignum humeris ſuis portantem, coram Pilato

accuſatum, & crucifixum. Eum offero tibi myrrha vnctum, linteo mundo inuolutum, & alieno monumento ſepultum.

Anima Christi ſanctifica me;
Corpus Christi ſalua me.
Sanguis Christi inebria me.
Aqua lateris Christi laua me.
Paſſio Christi conforta me.
O Bone I E S V *exaudi me;*
Intra vulnera tua abſconde me;
Et ne permittas me ſeparari à te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meæ voca me.
Et iube me venire ad te;
Vt cum Sanctis tuis laudem te;
In ſæcula ſæculorum. Amen.

O Sacrum Conuiuium, in quo Christus ſumitur; recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

℣. *Panem de cælo præſtitiſti eis.*

℟. *Omne delectamentum in ſe habentem.*

OREMVS.

DEus qui nobis ſub Sacramento mirabili, Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti; tribue quæſumus, ita nos Corporis &

ris & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

O quàm ſuauis eſt Domine Spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane Suauiſſimo de cælo præſtito, eſurientes reples bonis, faſtidioſos diuites dimittis inanes.

O Dulciſſime atq; Amãtiſſime Domine IESV Chriſte, æternum bonum meum, melliflue Ieſu, coniunge me tibi intimè, ad laudem & gloriam nominis tui.

Abſorbeat quæſo Domine IESV, ignita & melliflua vis amoris tui ab omnibus, quæ ſub cælo ſunt: vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei, dignatus es in ligno crucis mori. Amen.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.

 Sicut

Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum. Amen.

NVnc dimittis seruum tuum Domine: secundùm verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei; salutare tuum.

Quod parâsti, ante faciem omnium populorum.

Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israël.

Gloria Patri, &c.

DOmine IESV, nouerim me, nouerim te,
Nec aliquid cupiam nisi te;
Vt odiam me, & amem te:
Quicquid agam propter te.
Humiliem me, exaltem te:
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me, & viuam in te:
Quæcunq; veniant, accipiam à te.
Persequar me, sequar te:
Semper optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te;
Dignus sim defendi à te.
Timeam mihi, timeam te;
Simq; de electis à te.
Diffidam mihi, fidam in te,
Obedire velim propter te.

In nullo

In nullo afficiar, nisi in te;
Aspice me, vt diligam te.
Voca me, vt videam te;
Et in æternum potiar te. Amen.

Sequuntur perbreues aspirationes, & conceptus animi, per modum Meditationis, post SS. Communionem fructuosissimè adhibendi.

MIrantur, ô Bone IESV, creaturæ omnes, te in purissimum Mariæ Matris tuæ vterum descendisse; cùm tamen integerrima illa, & omni virtute & gratia refertissima fuerit. An non mirari magis debeo, voluisse te in me ingredi, à me recipi, à me teneri, deformi, inopi, sordido?

Túne Domine in me manere, & inter vasa electorum tuorũ collocare me vis, qui vas fui hactenùs immundum & sordidum? Et quamuis singulari tua gratia per pœnitentiam (vt spero) ablutus sum; nunquid tamen vas, olim ad excipiẽdos vomitus destinatum, nullam vel sola recordatione nauseam mouebit? Itane in me ma-

me manere, & me tanquam pyxidē Sacrarum Reliquiarum tuarum, imò Corporis tui constituis?

Benedicant te omnes Angeli tui, Benignissime IESV, quia quod proprium est Sponsi & Sponsæ, tibi me vis inseparabili vinculo coniungere. Effice ergo, te vnum vt diligam, te vnum vt sitiam & amem, ac nullæ me mundi illecebræ, nulla carnis voluptas, nullæ Dæmonum insidiæ, abs te auellant & separent.

Da mihi præsentiæ tuæ effectus persentiscere, Suauissime IESV. Memini benedictionum, quibus cumulasti eos, qui te aliquando in domum suam dignè acceperunt. Mariam Matrem tuam, vbi in vterum te suum accepit, omnibus donis & gratijs compleuisti. Zachæum illum Publicanorum Principem, quòd te acceperit hospitio, cælesti benedictione repleuisti. Quando obitâ pro nobis morte, ad infernum descendisti; illum in paradisum quendam commutasti Domum Obededom, in qua Arca Testamēti, huius Sacramenti vmbra tantùm & figura reposita fuit, omni benedictione locuple-

locupletâſti. Da quoq; domui meæ, in quam ingreſſus es benedictionem : eam quæſo in paradiſum conuerte, doniſq; tuis & gratijs cumula.

Memini Pientiſſime IESV, Sacris de te literis eſſe mandatũ, quòd omnis turba quærebat te tangere, quia virtus à te exibat, & ſanabat omnes. Ecce ego te iam non tetigi tantùm, ſed in me quoq; accepi; exeat quæſo à te virtus, quæ omnes languores meos ſanet, & vires nouas ſufficiat ad ſeruiendum tibi.

Poſtquàm anima tua precioſiſſima, è Sacratiſſimo Corpore tuo egreſſa eſt, ô IESV pro nobis crucifixe; voluiſti Corpus tuum Myrrha & vnguentis conditũ, ſindoneq; puriſſima inuolutũ, inferri in Sepulchrũ nouũ, petra benè munitũ, & iam toto terrarum orbe glorioſum. Et ecce modò (quæ tua eſt incomprehenſibilis bonitas) Corpus idẽ tuum, à morte ſuſcitatum, animaq; beatiſſima informatum mihi porrigis : in me, vt in ſepulchrũ aliquod illud inferã; in me, vt illud recondam. Da ergo mihi obſecro fortitudinis petram, ad vincendas omnes

imperfectiones, & ferendas omnes aduersitates, labores, & pericula omnia, quæ pro tuo honore, & mea salute mihi sunt sustinenda. Da quoq; mihi linteũ, sindonemq; castitatis & puritatis. Dona postremò myrrham mortificationis, vt huius Diuinissimi Sacramenti gratia delibutus, à criminibus purus & integer, nullo mortiferæ perturbationis veneno inficiar & corrumpar: sed odor, & mihi & alijs omnibus sim in vitam, tibi verò in nominis tui gloriã sempiternã. Amẽ.

CAPVT XVI.

De modo exercendi Deuotionem erga Patronos Mensis.

QVi Patronis debitum cultum exhibere cupiunt; puncta hæc quinque circa venerationem Sanctorum, vtilissimè expendent.

1. Considerabunt; Sanctos esse cohæredes Christi, & cœli Principes, iamq; in æterna illa gloria collocatos; à Sanctis Angelis, totaq; cælesti Curia, imò ab ipsa SS. Trinitate, velut lectissimos amicos

amicos honorari, cuius beatissima visione perfruuntur. Ex quo cognoscent, quo honore & obseruãtia coli debeant.

2. Perpendent; Sanctos maxima & innumerabilia beneficia à Deo impetrare posse, sicut multis alijs impetrarunt. Itaq; concludent, vehementer sibi expedire, eos habere amicos: potissimùm in hora mortis, in qua circumdati erũt impuris spiritibus, ad exitium nostrum paratissimis. Fælices itaq; erunt, si aliquot Sanctos, diligenter à se cultos, sibi assistentes habere possint; qui ipsos adiuuent, & tartareos hostes in fugam vertant; ac tandem æternæ beatitudinis, in qua nunc triumphant, fælicitatem à Deo impetrent.

3. Procurabunt in Anima sua confusionem excitare; conferendo Sanctorũ vitam cum sua: quantùm nimirùm hæc flagitiosa sit, & differat ab illorũ pia cõuersatione: ponderando ex vna parte virtutes eorum, & mores Sanctos; ex altera multitudinem suorum peccatorũ.

Ponent sibi ob oculos Sanctorum labores & ærumnas, quas in hoc mundo

aſſiduè pro Chriſto Domino pertulerũt: illorum Fidem, Spem, Charitatem, Humilitatem, Obedientiam, Patientiam, Conſtantiam, Zelum; inuictam in certaminibus & tormentis Fortitudinem, inſuperabilem in capeſſenda morte alacritatem; deniq; Apoſtolorum, Martyrumq; inclytam Firmitatem, ac in mediis difficultatibus Perſeuerantiam: Confeſſorum verò, Eremitarum, Religioſorum vigilias, ieiunia, ſolitudines, vitæ aſperitates, corporis mortificationes, ſtudia pro laude Dei ſuſcepta, pœnitentias, lachrymas, & cætera id genus Pietatis Exercitia: Virginum denique, & Sanctarum Mulierum integerrimam Caſtitatem; exhauſtos pro ea ſeruanda labores, anguſtias, perſecutiones, torturas, flammas, mortes. Quæ quidẽ omnia, admirabilis conſecuta eſt beatitudo, & gloria nullis annorum Myriadibus terminanda. Contrà verò videbunt; quàm breui fælicitas impiorum (ſi modò fælicitas, quæ ipſos rapit ad æternos cruciatus, appellanda eſt) finiatur; pœnâ eam ſequente intolerabili, & in omnem duraturâ æternitatem.

Poſtre-

Postremò; excitabunt se ad Amorem Dei, qui auctor fuit & principiũ, omnis Sanctorum virtutis & Sanctitatis, ac per consequens gloriæ cælestis, quæ eam sanctitatem excepit. Tantum itaq; tantorum bonorum fontem & autorem amabunt, & mirabuntur; gratiasq; illi quantas poterunt agent, de omni eius gratia & misericordia Sanctis concessa: quam etiam sibi donari rogabunt, vt ad eorum societatem peruenire aliquando possint.

Deinde; Supponere debebunt, Deuotionem quæ erga Sanctos exercetur, in resolutione quadam voluntatis cõsistere, quâ efficaciter Sanctos imitari volumus, & ex qua studium particulare eos honorandi, in eorumq; gratiam particularia, quædã opera faciendi nascitur; indeq; pia Petitio cõsurgit, eos inuocãdi, velut charissimos Dei amicos: vt illorũ meritis & suffragijs, in omnibus necessitatibus, præsertim verò in angustijs mortis, opẽ diuinam efficaciùs obtineamus. Vnde qui singulares, *Beatissimæ Virginis verbi gratia*, cultores esse cupiunt; singu-

larem etiam diligentiam, in eius virtutum; v. g. *Modestiæ, Silentij, Humilitatis, Patientiæ, &c.* recordatione, seq; cum B. V. conformandi voluntate, quæ principalis debet esse illorum deuotio, adhibebunt.

Quo quidẽ affectu supposito; qui Deiparam ritè colere desiderant, indies ob honorem ipsius rem aliquam particularem exequentur, ipsius auxilium tam manè quàm vesperi, imò & frequentiùs implorabunt; vitam legent, ob eius venerationem Sacrum audient, Hymnum dicent, vel eius Commemorationem facient, aut simile aliquid moderatæ quãtitatis recitabunt: eam in varijs casibus & periculis implorando, vltimum agonem illi commendando, peculiariter verò in aliqua virtute ipsam imitando.

Ac tandem Beatissimæ Virginis festo appropinquante, cultores ipsius, aliquot ante celebritatem occurrentem diebus, cum maiori spiritu se præparabunt, specialemq; in vitij alicuius extirpatione, & virtutum acquisitione diligentiã adhibebunt, & aliquot in die vicibus, ob eius reuerentiam, virtutis quæ ipsis forte conti-

te contigit, Actus Internos feruentiùs quàm anteà elicient, iiſq; externos adiũgent; vitij autem contrarij defectus emendare conabuntur. Piam quoq; ſententiam, quæ Patronis apponitur, expendẽt, & virtutem executioni demandabunt. Deniq; Pœnitentiam, quæ in chartula menſtrua iniungitur explebũt: Orationiſq; materiam, quæ ibidem pro varijs, tam publicis quàm priuatis neceſſitatibus aſſignatur, quotidiè cum maiori fidelitate peragẽt. Ac tãdẽ in Vigilia Beatiſſimæ Virginis occurrenti, circumſpectè ſe gerent, cibum moderatè ſument, ipſoq; feſtiuitatis die, vel Sacrum deuotè audient, vel certè (ſi libuerit) confitebuntur, & Sanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum recipient. Bonũ itidem eſſet, ipſo Sanctiſſimæ Virginis die, gratiæ alicuius donum magis neceſſarium, inſtantiùs poſtulare.

Ex hac Inſtructione, Beatiſſimæ Virgini accommodatã, cui hyperduliæ cultus, id eſt maior quàm alijs Sanctis deuotio, vtpotè Matri Dei debetur; facilè colligent: qualiter alijs Sanctis, qui eis

Mensę quolibet in electione assignantur, iuxta proportionem, reuerentiam exhibere debeant.

Praxis doctrinæ supradictæ, Beatissimam Mariam Virginem honorandi; quæ etiam cæteris Patronis sorte contingentibus, secundùm proportionem applicari potest.

CVi festum aliquod Beatissimæ Virginis sorte in Mense obtigerit; hãc Directionem instituet: quæ etiam seruatâ proportione, aliquibus mutatis, cæteris Sanctis accommodari potest.

O Patrona mea & Domina Clementissima. Ego N. meipsum in æternum, in tui cultum offero: particulariter verò ob tui memoriam, & hanc solennitatem, quæ propter tuam reuerentiam instituitur, *talem & talem deuotionem;* Coronam, Rosarium, Hymni recitationem, lectionem libri Spiritualis, meditationem ob tui venerationem assumptam, *cum desiderio te honorandi, tibiq; placendi, exequi peropto. Suppliciter rogo, hanc à paupere oblationem accepta, meiq; miserere; & gratiam*

& gratiam benè viuendi, in eaq; ad mortem vsque perseuerandi impetra, & in vltimo agone, me ab angustiis mortis, & periculis hostis infernalis defende.

Modus alius, ratioque breuis & efficax, commendandi se Beatißimæ Virgini, crebrò à pijs Ecclesiæ filijs, ac potißimùm à Studiosis instituenda: ad cuius normam & exemplar, similia Exercitia commendandi se cæteris Patronis, formari possunt.

FActo signo Crucis, & animo corporeque ad Orationem composito, in imaginatione repræsentabunt, Beatissimam Mariam Virginem coram se positam, ac omninò paratissimam, ad indigentiam & paupertatem subleuandam: si modò se illi gratos præstiterint, ac eam feruidè, quicquid oportuerit rogauerint. Gratias itaq; illi agent, de cunctis beneficijs, quæ ipsis à Christo impetrare solet: præcipuè verò de ijs, quæ peculiariter intellexerint, se ipsius intercessione obtinuisse: qualia sunt; maior feruor & deuotio, maior affectus erga res sacras; studium virtutum (præsertim verò

tim verò Humilitatis, Caſtitatis, Manſuetudinis, Charitatis, Sobrietatis &c.) prçclarius ingeniũ, memoria fęlicior, intellectus acutior, diligentia maior in ſtudijs, & his ſimilia, quæ aucta in ſe deprehendunt, poſtquam ei ſeruire inceperunt.

Tradent quoq; ſe illi, atq; offerent in ſeruitium: orando, vt eos in tutelam patrociniumque ſuſcipere, ſuoq; præſidio munitos, ab omni tum animæ tum corporis periculo, tueri dignetur.

Aliqua tandem beneficia pro ſe, cæteriſq; proximis petent; vel certè ipſius patrocinio conſeruari, & augeri rogabunt: præſertim vt ipſis à Filio ſuo profundam humilitatem, puriſſimam caſtitatem, & in recto virtutis itinere profectum ac perſeuerantiam impetret. Præterea, vt nonnihil doloris illius eis impertiat, quem ex Filij cruciatibus cœpit: præparationis etiam atq; ardoris ſcintillam, quo Sacrã Euchariſtiam poſt Aſcẽſionem Domini noſtri ſumebat. Deniq; augmentum deuotionis, & affectus erga eandem Sanctiſſimam Virginem. Hæc autem

autem beneficia, per septem eius gaudia, doloresq; totidem petent, quibus fuit affecta dum viueret.

Sequitur Praxis, hanc eandem Deuotionem, pro veneratione Beatissimæ Virginis, fusiùs concipiendi; quæ ab omnibus eius cultoribus quotidiè seruari deberet.

QVi se peculiari veneratione Reginæ Cæli deuouere cupit; principiò enixè precetur, ne aspernetur ipsum humi defixum; potiusq; ex ingenio suo liberalissimo, specialem eius tutelam suscipiat, & in necessitatibus occurrentibus ei auxilium ferat.

Poterit autem Oratione, vel etiam Sacrificij Missæ auditione præmissâ, in templo vel Oratorio aliquó, in hunc modum se totum Virgini offerre.

Clementissima Domina, Spes salutis meæ firmissima. Ego N. peccator miserrimus, gratias immēsas tibi ago, pro singulari patrocinio, quo mihi opitularis; & pro cūctis beneficijs, quæ mihi tuâ singulari intercessione à Deo cōcessa esse intelligo.

Hîc recoles tibi beneficia concessa.

Et quia benè conscius sum indignitatis meæ, cum de-

cum demiſſione quàm poſſum maximâ, animo tuo ad miſerendum promptiſſimo fretus, me totum tibi offero: teq; in tutelarem meam, per totius vitæ decurſum; ſpecialiter autem hoc Menſe, qui mihi ad te particulariter honorandam datus eſt, eligo.

Obſecro ergo te, Regina Mitiſſima, per viſcera Vnigeniti Filij tui, ne me deſpicias, ſed mei protectionem ſuſcipere digneris: vt ſub auſpicijs tuis, vitam in Dei amore, caſtoq; timore perſeueranter ducam

Quia verò ille, qui modo ſpeciali à tutelari ſua iuuari & protegi depoſcit, viciſſim particulare aliquid offerre debet; ideò verus Beatiſſimæ Virginis amator, excogitabit modum aliquem, quo ipſam aliàs ad opitulandum propenſam veneretur, & perennem aliquem cultum reciproco affectu, iuxta ſtatus exigentiam rependat: cum propoſito firmo, eũ opere adimplendi, quoad occupatio, vel infirmitas non impedierit. Non tamen ſe ad prædicta, & pleraq; alia, ſine conſilio pij & prudentis Confeſſarij, vllo voto obſtringet. Qui ergo à Sereniſſima Deipara muniri depoſcit; in argumentũ

ſuſceptæ

ſuſceptæ protectionis, per totam vitam eliget certas Orationes ad eam fundendas, vel pia aliqua Exercitia peragenda, quæ deuotus ſuggeret affectus: qualia eſſent, v. g. precationem, quàm Virginis *Coronam* vocant recitare: itemq; *Roſarium*, vel *Officium paruum* dicere; Sabbato ieiunare, Miſſam de B. Virgine audire, certas eleemoſynas ob amorem Virginis facere.

Fidi cultores Virginis feruntur vlteriùs, & firmiter ſtatuunt, ſe nihil ob amorem Virginis poſtulatum negaturos, quoad poſſibilitas ferat.

Alij ad reſpirationes ſingulas, ſe totos Deiparæ offerunt, ad quælibet ardua ipſius amore tentanda comparati.

Alij adhibent in honorem ipſius, certum aliquem adorationum ſeu proſtrationum numerum, cum ſeria Virginis inuocatione: item frugalitatem aliquam in victu moderatam, vigilias, vſum cilicij & diſciplinarum; ſimileſq; alias corporis caſtigationes. Ex ijs ergo, vel eius generis alijs, delectu habito, vel vnum vel plura, clientes ipſius conſtanter exequi ſtatuent.

Poterit

Poterit autem quilibet eorum, in hūc modum, cum cæli Regina pacisci.

Clementissima Cæli Regina, cuius protectionem summis votis exopto. Ego N. Vnigeniti Filij tui gratia, tuoq; præsidio fretus, decerno; per totius vitæ decursum, tibi peculiari studio famulari; in cuius obsequij signum propono, me diebus singulis in tui honorem; Officium paruum, Coronam, Rosarium, Litanias, &c. *recitaturum; diebus Sabbati ieiunaturum, eleemosynam certam erogaturum, &c.*

Nec oblationem pauperis respuas, Regina Misericordissima; sed inopiæ meæ miserta, orantem admitte atq; tuere.

Potissima autem cura erit, duo hæc exequi. Primò; Deuotionem erga Virginem Sanctissimam fouere. Secundò; Eam imitari.

Circa primum, nempè Deuotionem aduerte; quòd cùm illa sit voluntas quædam, promptè tradendi se ad ea, quæ ad famulatum Dei pertinent: ex S. Thoma, 2. 2. q. 82. a. 1. etiam Deuotio erga Virginem Sanctissimam, erit prompta quædam & parata voluntas, exequendi ea, quæ ad eius cultum spectant.

Quocir-

Quocircà, qui Cæli Reginam, vt par est, colere decernit; quicquid ad ipsius spectat honorem, expeditè & alacriter implebit: occasionesq; illius laudes celebrandi, eius historias lectitandi, miracula & beneficia recolendi, Suauissimũ Mariæ nomen & patrocinium inuocandi, eius Sacrum Scapulare gestandi conquiret; & in quolibet totius diei negocio, breui animi ascensu seu eleuatione, actum instantem ad eius gloriam diriget; eamq; rogabit, vt piè quamlibet actionem peragat, & ab omni culpa procul absistat; opportunitatem quærendo, vt alios ad eiusmodi actus pios inducat. Quod sanè studium, lætitiæ spiritualis, Spei, ac meriti feracissimum est.

Vnde in eum finem, hanc frequenter Orationem repetet: *Sancta Maria Mater Dei & Virgo. Ego N. te hodie, imò & quotidiè; particulariter verò hoc Mense, quo mihi in Specialem Patronam assignata es, in Dominam & Aduocatam eligo: firmiterq; statuo & propono, me nunquam te derelicturum, neq; contra te aliquid vnquam dicturum, aut facturum; neq; permissurum, vt à meis subditis, aliquid contra tuum hono-*

um honorem vnquam agatur. Obſecro te igitur; ſuſcipe me in ſeruum perpetuum: adſis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deſeras in hora mortis meæ. Amen.

Circa ſecundum, nempè Imitationē Deiparæ Sanctiſſimæ, notandum eſt: quòd eam vehementer Beatiſſima Virgo, à ſuis amatoribus expetat.

Ac proinde, quicquid eius cliens aget; ſi moribus ab ea diſſentiat, parùm ſanè proficiet. Nam licet frequentiſſimè Regina Miſericordiæ, ſceleſtos minimè paucos, cæptis flagitijs inſiſtentes, ipſam tamen quotidiè precari ſolitos, in extremo agone mortis protexerit; non inde concluditur, pium prudenſué conſilium eſſe, imitatione neglecta, in aliqua precatione, vel ieiunio Virgini deſtinato, hiſq; ſimilibus, ſpei multùm reponere; cùm eidē Virgini ſordida vita diſpliceat.

Ne verò imitationis ſtudium vniuerſè acceptum, quaſi vagum & incertum, minùs ad praxim deriuetur; proderit virtutem aliquam peculiarem, puta *Humilitatem*, vel *Manſuetudinem* eligere, in quam imitator neruoſiùs incumbat. Imi-

bat. Imitationis autem propositum, poterit hoc modo formari.

Clementissima Cæli Regina, absolutissimũ Sanctitatis exemplar. Ego N. Vnigeniti Filij tui, tuoq; auxilio innixus constituo; virtutes tuas moresq; imitari, vt tibi ea similitudine placeam. Quod vt rectiùs efficiam; Humilitatẽ *tuam, vel* Mãsuetudinẽ, *vel* Castitatẽ, *mihi peculiariter ad imitationem præfigo. Supplex ergo oro te, Virgo Purissima, mihi adsis, vt tantæ virtutis amore flagrem, illam fidissimè colam, eaq; partâ, tui similis euadam.*

Pro Coronide totius huius doctrinæ, verus cultor Virginis Sanctissimæ, firmiter concipiat; se ita erga Cæli Reginam debere affici, vt postquam omnia superiùs præscripta expleuerit, nihil se putet egisse; illamq; supplex oret, vt dignetur eum inter sedulos cultores gratis recensere. Quid enim celsitudine ac Maiestate tanta dignum, mortalis homo, culpæ vinculis innexus, & graui hæreditariæ fragilitatis morbo æger, possit offerre? Profectò etsi omnes mũdi opes, honores, solatia, voluptates aspernaretur, & acerrimos Virginis gratiâ ferret crucia-

cruciatus; deberet se illius tutela planè indignum profiteri, eiq; se totum, ob solam ipsius puritatem, sapientiam, & pulchritudinem, velut emptum mancipium tradere. Hæc Reginæ Cæli æstimatio esse deberet; meritorum certè fœcundissima, & tam sublimi Virgine dignissima.

Documenta pro Festis Iesv *Christi Domini nostri celebrandis.*

SI Festa Domini Nostri forte occurrerint, curandum est, vt præter doctrinam præcedentem, aliquid aliud cum affectu maiori, in honorem talis Domini Infinitæ Maiestatis addatur; sitq; modus hęc magna Festa celebrãdi, quantùm ad Actus interiores spectat, mysterijs conformis. V. g. Si instet Natalis dies Domini; cum particulari studio, cor ante festum præparandi fiet: rogandusq; erit puerulus Iesvs, vt in animabus nostris spiritualiter nascatur, eaque gratia cum maximis gemitibus, cordialissimisq; desiderijs expetatur. Si Festum Resurrectionis incidat; ea debet intentione peragi, vt à Domino Resurrectionem

Spiritua-

Spiritualem impetremus, eiq; de Mortis & Inferni gloria triumphanti gratulando, humiliter supplicemus, vt de corde nostro triumphum victor agat. Si Pentecostes Festum celebretur; deuotissimè instabimus, vt visitationẽ & inhabitationem Spiritus S. obtineamus. Si Passionis fiat memoria; curabimus, vt Passioni eius & Morti configuremur: sicque de cæteris.

Porrò, vt aliquæ Orationes pro Sanctis, ad augendam ipsorum venerationẽ fundendæ, simulq; Actus interni particularium virtutum, qui frequenter loco Pœnitentiæ ad Patronos Mensis apponuntur, præ manibus haberi possint: peropportunum duximus, in Sequenti Capite, Orationes tam communes quàm particulares, Sanctis competentes: in altero verò immediatè posteà subsequẽti, & deinceps cæteris, Actus variarum virtutum interiores inserere; vt nemo excusationem prætendat, quominùs Deuotionem hanc erga Sanctos exerceri solitam, promptiùs exequatur: quorum pleraq; alia, ex pijs opusculis peti debẽt.

CAPVT XVII.

De Orationibus quibusdam ad Sanctos fundendis.

LITANIÆ BEATISSIMÆ Virginis.

Quas recitantibus omnibus Christi fidelibus, Indulgentiæ ducentorum dierum conceduntur; prout patet ex Bulla nostris data, à SIXTO V. *Pont: Max.*

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miſerere no.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Mater Chriſti, ora.
Mater Diuinæ gratiæ, ora.
Mater puriſſima, ora.

Mater

Mater caſtiſſima, Ora pro nobis.
Mater inuiolata, ora.
Mater intemerata, ora.
Mater amabilis, ora.
Mater admirabilis, ora.
Mater Creatoris, ora.
Mater Saluatoris, ora.
Virgo Prudentiſſima, ora.
Virgo veneranda, ora.
Virgo prædicanda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidelis, ora.
Speculum iuſtitiæ, ora.
Sedes ſapientiæ, ora.
Cauſa noſtræ lætitiæ, ora.
Vas Spirituale, ora.
Vas honorabile, ora.
Vas inſigne deuotionis, ora.
Roſa myſtica, ora.
Turris Dauidica, ora.
Turris eburnea, ora.
Domus aurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Ianua cœli, ora.
Stella matutina, ora.

Salus infirmorum, Ora pro nobis.
Refugium peccatorum, ora.
Consolatrix afflictorum, ora.
Auxilium Christianorum, ora.
Regina Angelorum, ora.
Regina Patriarcharum, ora.
Regina Prophetarum, ora.
Reginá Apostolorum, ora.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confessorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum omnium, ora.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

OREMVS.

CONcede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa B. Mariæ semper Virginis intercessio-

ceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

BEatæ & glorioſæ, ſemperq; Virginis Mariæ, quæſumus Domine, interceſſio glorioſa nos protegat, & ad vitam perducat æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

INteruenient pro nobis, quæſumus Domine IESV *Chriſte, nunc & in hora mortis noſtræ, apud tuam clementiam, Beata Virgo Maria Mater tua: cuius ſacratiſſimam animam, in hora paſſionis tuæ, doloris gladius pertranſiuit. Per te Chriſte* IESV, *Saluator mūdi, qui cum Patre & Spiritu S. viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Oratio ad S. Michaëlem Archangelum.

SAncte Michaël Archangele, Princeps militiæ cæleſtis, qui veniſti in adiutorium populo Dei; age cauſam meam apud Altiſſimum Iudicem, vt mihi miſerrimo peccatori, donet remiſſionem omnium peccatorum meorum, propter magnam miſerationum ſuarum clementiam. Exaudi me clamantem S. Michaël, atq; inuocantem te, & adiuua Maieſta-

tem Diuinam deprecantem, & interpella pro me gemiſcente, & fac me tua interceſſione caſtum, ab omnibus peccatis meis. Inſuper obſecro te, præclarum atq; Ampliſſimum Summæ Trinitatis miniſtrum, vt in nouiſſimo die benignè ſuſcipias animam meam, in ſinu tuo Sanctiſſimo; & perducas eam in locum refrigerij, & in regionem lucis, pacis, & quietis ſempiternæ. Amen.

Oratio ad SS. Angelos.

Omnes Sancti Angeli & Archangeli, Throni & Dominationes, Principatus & Poteſtates, Virtutes cœlorum, Cherubini ac Seraphini, fundite pro me preces ad Dominum, vt me liberet à peccatorum vinculis, & illuſtrare dignetur virtutum ſtudijs, & defendat ab aduerſitatibus cunctis, & poſtremò iungat me veſtris ſanctis conſortijs. Amen.

℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine.

OREMVS.

Deus qui miro ordine Angelorum miniſteria, hominumq; diſpenſas; concede propitius, vt à qui-

à quibus tibi ministrantibus in cælo semper aßisti-tur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum, &c.

Ad Angelum Custodem. Antiphona.

Angelis suis Deus mandauit de te; vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te; ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

OREMVS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui me licet indignum, ad imaginem tuam creâsti, & Angelum Sanctum tuum ad mei custodiã deputâsti: da mihi seruo tuo, illius ductu & custodia, malorum omnium tam animæ quàm corporis pericula fæliciter pertransire, & post huius vitæ curriculum, ad gaudia sempiterna facias peruenire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio ad SS. Apostolos.

DEus qui nos per beatos Apostolos tuos N. & N. ad agnitionem nominis tui venire tribuisti; da nobis eorum gloriam sempiternam, & proficiendo celebrare, & celebrando proficere. Per Dominum nostrum, &c.

Oratio ad peculiarem aliquem Apostolum.

SAncti Apostoli tui N. quæsumus Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede. Per Dominum nostrum, &c.

Oratio ad SS. Martyres.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt qui gloriosos Martyres, fortes in sua confessione cognouimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum, &c.

Oratio ad Martyrem & Pontificem.

INfirmitatem nostram respice Omnipotens Deus, & quia pondus propriæ actionis grauat, Beati N. Martyris tui atq; Pontificis, intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum, &c.

Oratio ad quemcunq; Martyrem.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt intercedente beato N. Martyre tuo, & à cunctis aduersitatibus liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dom. &c.

Oratio ad SS. Episcopos & Confessores.

EXaudi Domine preces nostras, & per Beatos Confessores tuos atq; Pontifices N. & N. qui tibi digne meruerunt famulari, ab omnibus nos absolue peccatis. Per Dominum, &c.

Ad quemcunq; Pontificem & Confessorem.

DEvs qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus; concede propitius: vt intercessione beati N. Confessoris tui atq; Pontificis, contra omnia aduersa muniamur. Per Dominum, &c.

Ad S. Doctorem quemcunq;.

DEvs qui Ecclesiam tuam beati N. Confessoris tui, mirâ eruditione clarificas, & sancta operatione fœcundas: da nobis quæsumus, & quæ docuit intellectu conspicere, & quæ egit, imitatione complere. Per Dominum, &c.

Ad Confessores.

Adesto Domine supplicationibus nostris, quas in Beatorum tuorum N. & N. solennitate de-

ferimus: vt qui nostræ iustitiæ fiduciam non habemus, eorum qui tibi placuerunt precibus adiuuemur. Per Dominum, &c.

Ad quemcunq; Confessorem non Abbatem.

COncede quæsumus omnipotens Deus; vt qui peccatorum nostrorum pondere premimur, beati N. Confessoris tui patrocinio subleuemur. Per Dominum nostrum, &c.

Ad quemcunq; Abbatem.

INtercessio nos, quæsumus Domine, beati N. Abbatis commendet, vt quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur. Per Dominum nostrum. &c.

Ad Sanctas Virgines & Martyres.

DA nobis, quæsumus Domine Deus noster, Sanctarum Virginum & Martyrum tuarum palmas, incessabili deuotione venerari: vt quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequijs. Per Dom. &c.

IMMensæ & inæstimabiles, Gloriosissimæ semper Virgines Christi, intercedite & orate pro me mi-

me miserrimo peccatore, nimis obnoxio peccatis: vt qui vobis pro merito castitatis, & tot certaminibus, largitus est munera perennitatis; mihi largiri dignetur veniam pro delictis, cælestisq; regni faciat esse consortem, IESVS Christus Filius tuus, Dominus noster. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Pro vna Virgine & Martyre.

INdulgentiam nobis, quæsumus Domine, Beata N. Virgo & Martyr imploret, quæ tibi grata semper extitit, & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum. &c.

Pro vna Virgine tantùm.

AVxilium tuum nobis, quæsumus Domine, placatus impende; & intercedente Beata N. Virgine tua, dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum. &c.

Pro Vidua.

EXaudi nos Deus salutaris noster, vt sicut de Beatæ N. Festiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum. &c.

Commendamus autem vel maxime omnibus, inuocationem S. Ioſeph, & S. Tereſiæ; quæ quanti ſit momenti, quotidiana docet experientia. Quapropter ſpeciales quaſdam Orationes, pro Patronorum iſtorum imploratione ſubiungimus.

Antiphona de S. Ioſeph.

Ioſeph Fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.

℣. Ora pro nobis S. Pater Ioſeph.

℞. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMVS.

SAnctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine, meritis adiuuemur; vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus ſācti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

OMnipotens & mitiſsime Deus, qui Beatum Ioſeph Iuſtum, Filium Dauid, Beatæ Mariæ Virgini tuæ Matri Sponſum præuidiſti, & tuum

nutritium

nutritiũ elegisti: da quæsumus, vt eius precibus & meritis, Ecclesia tua tranquilla pace lætetur, & ad perpetuæ visionis tuæ consolationem perducatur. Qui viuis & regnas. &c.

Non abs re futurum duximus, subiũgere hic testimonium graue S. Matris Teresiæ, erga cultum S. Ioseph: cui specialissimè fuit deuota, cùm in viuis esset. Sic igitur habet. *c. 6. suæ vitæ.*

In Patronum verò & Dominum selegi, Gloriosum virum S. Iosephum, eiusq; patrocinio me vnicè commendabam. Liquidò deinde perspexi, Sanctum hunc Patrem, & Dominum meum, tam ab hac me necessitate, quàm alijs maioribus, in quibus de anima mea, & honore, & perditione agebatur, liberâsse; idq; maiori meo bono, quàm eum rogare potuissem. Non memini me aliquid ab eo hactenùs petijsse, cuius me compotem non reddiderit. Et verò admirationem merentur magna illa beneficia, & gratiæ, quæ Gloriosi huius viri intercessione mihi Dominus concessit; necnon pericula, tam corporis quàm animæ, à quibus me liberauit. Nam alijs Sanctis gra-

tiam

tiam DEVS dedisse videtur, vt in vna necessitate inuocantibus se opituletur; sed hunc Gloriosum Virum ego experta sum, in qualibet necessitate adiuuare, & adesse. Adeò vt Dominus nobis indicare velle videatur; quòd quemadmodùm illi in terra viuēti subditus fuit (nam sicut Pater illius dictus fuit, cùm nutritius eius & sustentator esset; ita vt imperare pro iure suo illi potuerit) sic ei existenti in cœlo, nihil eorum quæ petierit deneget.

Quod etiam alij nonnulli, quibus vt ei se commendarent suaseram, re ipsa experti sunt. Vnde iam plurimi sunt, qui singulari quodam affectu erga eum feruntur. Hoc porrò verū esse, ipsa rursùs in illis experta sū. Omni, quâ mihi possibile erat, solennitate & pompa Festum eius celebrare procurabam. &c. *Et infra.*

Persuadere omnibus omninò vellem, vt mirificè erga Gloriosum hunc Virum afficerentur; quòd sæpiùs experta sim, varia illum bona & gratias à Deo obtinere. Neminem vnquam noui, qui cùm verè & ex animo illi deuotus

foret,

foret,& particularibus quibusdam obsequijs eum coleret, non plùs per eius opē visus sit in virtute profecisse: mirũ enim in modum illos, vt in ea progressus faciant iuuat, qui ei se commendant. Iam aliquot, si benè memini, elapsi sunt anni, quibus semper Die eius Festo, aliquod ab eo donum posco; & semper id mihi datum fuisse comperio: & si fortè petitio mea vsquequaque recta non sit, ipse eam ad maius bonum meum dirigit, & rectificat. Si essē quæ aliquã ad scribendum authoritatem haberem; me quàm libentissimè in beneficijs, quæ Gloriosus hic Vir, tam mihi quàm alijs personis est elargitus, singillatim enarrandis effunderem. Verùm ne præscriptos mihi à Superioribus scribendi terminos transgrediar, & plura quàm iussa sim faciam; in multis futura sum breuior, quàm quidem vellem; in alijs diffusior, quàm necesse sit: vtpotè quòd in omni eo quod bonum est, parùm discretionis habeo. Hoc solùm ex amore Dei peto, vt quisquis mihi dicenti non credet, experiri velit; & reipsâ, & experientiâ sentiet,

quan-

quãtum ſequatur boni ex eo, quòd Glorioſo huic Patriarchæ ſe quiſpiam commendet, & eum particulari aliquo obſequio colat. Specialiter verò illi, qui Orationis ſtudio tenentur, ſemper eũ Patronum eligere deberent, & erga eũ affici.

Deuotio ad S. Virginem Tereſiam.

MIſericordias tuas cantabit tibi Domine in æternum, Beata Virgo Tereſia, & in ſæculũ ſæculi veritates, quibus illuminâſti eam.

℣. *Dominus poſſedit me.*

℟. *Et protexit me ſub vmbrã alarũ ſuarum.*

ORATIO.

DEVS, *qui dediſti beatæ Tereſiæ Virgini tuæ, non ſolùm vt magna ſanctitate, & miræ eruditionis gratia floreret; ſed etiam vt plurimorum Mater eſſet & Magiſtra, filiorum ac filiarum: præſta quæſumus, vt eius, in qua te mirabilem præbuiſti, precibus & meritis adiuuemur. Per Dominum noſtrum, &c.*

Ad Sanctos Patronos Ordinis Carmelitarum Antiphona.

Chriſti

CHriſti pia gratia Sanctos ſublimauit, quos Beatæ Virginis Ordo propagauit: nos eorum meritis petimus adiuuari, atq; ſuis precibus DEO commendari.

℣. *Sancti tui Domine benedicent te.*

℟. *Gloriam Regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.*

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne DEVS, qui Montis Carmeli Ordinem, Glorioſæ Virginis Mariæ Matris tuæ, ſacrato titulo inſignitum, Sanctorum tuorum, Patrum ac Prophetarum, Eliæ & Eliſæi, Angeli & Anaſtaſij Martyrum, Cyrilli & Alberti Confeſſorum, Euphraſiæ & Euphroſynæ Virginum, atq; aliorum plurimorum Sanctorum meritis decorâſti; & per Sanctam Virginem Tereſiam mirabiliter inſtaurâſti: tribue nobis quæſumus, vt per eorum merita & ſuffragia, ad te peruenire valeamus. Per Dominũ noſtrum, &c.

Antiphona ad Omnes Sanctos.

Sancti Dei omnes, intercedere dignemini pro noſtra, omniumq; ſalute.

Lætamini

℣. *Lætamini in Domino, & exultate iusti.*
℟. *Et gloriamini omnes recti corde.*

OREMVS.

PRotege Domine populum tuum, & Apostolorum tuorum Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum patrocinio cõfidentem, perpetua defensione cõserua.

OMnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos vbiq; adiuuent; vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus; & pacem tuam nostris concede temporibus, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam: iter, actus, & voluntates nostras, & omnium famulorum tuorũ, in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue: & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum nostrum. &c.

OMnes Sãcti Spiritus, & animæ iustorum, & Sanctorum Dei, qui meruistis consortes fieri cælestium virtutum, & perfrui æternæ charitatis gloria. Precor vos per illius honorem & amorem, qui vos beatificauit; vt intercedere dignemini pro peccatis & angustijs meis; vt Con-

vt Confeſſione pura, Contritione cordis, & Pœnitentiâ condignâ, cum perceptione Sanctiſſimi Corporis & Sanguinis Domini noſtri IESV Chriſti, & Sacri Olei Vnctione, antequàm de hoc ſæculo migrare me oporteat, fulciri merear; & in illa tremenda hora finis vitæ meæ, ſentiam veſtrum iuuamen; ne cum impijs ſpiritibus, & damnatis hoſtibus, ad æternam pœnam adiudicer: ſed à labe peccatorum miſericorditer purgatus, ac vobis adiunctus, in cælis vitam æternam habeam. Amen.

℣. *Exultabunt Sancti in gloria.*

℟. *Lætabuntur in cubilibus ſuis.*

OREMVS.

OMnipotens ſempiterne DEVS, qui nos Omnium Sanctorum tuorũ merita, ſub vna tribuiſti celebritate venerari: quæſumus, vt deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis interceſſoribus largiaris. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum; qui tecum viuit & regnat in vnitate. &c.

CAPVT

CAPVT XVIII.

De Actibus Internis Theologicarum virtutum; scilicet FIDEI, SPEI, *&* CHARITATIS.

QVandoquidem ijs, qui Spiritualem vitam profitentur proprium est, continuâ Dei præsentiâ frui, sæpè Actus internos virtutum iterando: inconueniens non erit, infrascriptos Virtutum Theologicarũ Actus in isto capite ponere, vt ij tantò ardentiùs exerceantur; cùm præsertim si internũ Exercitium nostris operibus non admisceatur, omnes actiones futurę sint, veluti corpus sine anima.

ACTVS FIDEI.

Actus FIDEI, quorum incuria in repentinis congressibus multos læsit, sic exerceri debent.

Author Fidei IESV *Christe, firmißimè credo; vera esse omnia, quæ te reuelante credit Sancta Mater Ecclesia, & pro assertione hac libenter moriar.*

Impoßibile est Veracißime Domine, aliquid falsum

falſum Eccleſiæ tuæ à te reuelari; quod morte teſtabor.

Omninò verum eſt, tres eſſe Sanctiſsimæ Trinitatis in vna Diuinitate Perſonas; Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: pro qua veritate occumbere deſidero.

Verum eſt profectò, Clementiſsime Domine IESV *Chriſte, te verum Deum & hominem; ſed & vnam tantùm perſonam eſſe: atq; vtinam pro hoc aſſerto diriſsimè comburar.*

Certè verum eſt, te Clementiſsime Domine Ieſu Chriſte, Deum & hominem perfectum in Sacramento Altaris exiſtere: quod ego per medios gladios & ignes profitebor.

Hi actus à principio ſenſui mundanis aſſuefacto ingrati erunt; attamen vſus & conſuetudo ſuauiores eos reddet.

ACTVS SPEI.

Clementiſsime Deus, firmiſsimè ſpero, me tandem ex auxilio & bonis operibus, gratiâ tuâ præſtitis, gloria ſempiterna fruiturum.

Annotatio.

SPES, quæ ſola miſericordia, ſine operum bonorum adminiculis nititur, in Præſumptionem degenerat.

Tametſi

Tametsi grauissima peccata commiserim, Liberalissime Domine; proculdubiò mihi pœnitenti veniam indulgebis.

Quamuis ad horas singulas in multas culpas deformiter labar; certè Christianam perfectionem te iuuante assequar.

Etiamsi licenter nimis grauiora peccata perpetrarem; tu Mitissime IESV *Christe, educeres me de lacu miseriæ.*

Quanquam solus ego peccatorum omnium, quæ ab exordio mundi commissa fuêre reus essem; tu Benignissime Domine Deus; libenter ignosceres.

Spero equidem tuo munere, Misericordissime Domine, omnem à me vitæ huius difficultatem superandam, & in terra viuentium me semper victurum.

Si consistant aduersum me castra, & exurgat contra me prælium extremum, ac inferni portis videar propinquare; adhuc misericordiam tuam magnam expectabo.

Huiusmodi actus validè producendi sunt: vix enim credi potest, quàm viriliter his motibus cor, auxilio diuino fretum erigatur: & cõtrarium vitiũ, ac tentamenta Desperationis extinguantur.

ACTVS

CAPVT XIX.

De actibus internis Obedientiæ erga Confessarios, aliosq; Superiores.

POst Virtutum Theologicarum Actus, quibus animus hæret Deo; meritò in hoc Capite Obedientiæ, præcipuæ Virtutis Moralis Actus ponimus. Hæc enim mixta est ex ratione naturali, quando Sapientum consilio potiùs, quàm iudicio suo regitur: & ex Infuso lumine, dum Superiorem loco Dei recognoscit; vnde ex posteriori motiuo, à lege Diuina Fideq; modũ operandi sumit, postquam cum Superiore, vel Patre Spirituali, tanquam cum Deo loquitur.

Quamuis non negamus, omnes Virtutes Morales, ab Infusis imperari posse: quod apposito Temperantiæ liquebit exemplo, ex quo cæterarum virtutum Actus, ad Infusarum normam & præscriptum ordinari poterunt.

In cibi potusúe sumptione, ratio

præſcribit modum, ne noceat valetudini, vel rationis vſum impediat. Hæc Actus informatio, ad Temperantiam Acquiſitam ſpectat; quia ex ratione naturali eius formalitas petitur, & ad principia rationis naturalis reducitur.

At in eadem cibi potuſue ſumptione, ſi per actum Temperantiæ Infuſæ fiat, modus à lege Diuina, quam Fides docet imponitur: vt ſcilicet parcitate cibi corpus caſtigetur, & in ſeruitutem (vti Apoſtolus aiebat) redigatur: vel certè, vt erga Deum Theologicæ virtutes, quæ ſunt illarũ principia, ſed præcipuè Charitas amplior exerceatur.

Quocircà, quamuis omnes Virtutes Morales, de quibus inferiùs loquemur, habeant ſuos actus peculiares, iuxta normam & regulam rationis ordinatos: cum maiori tamen fructu; id eſt, cum merito gloriæ æternæ, ad præſcriptum Infuſarum peragentur, quæ longè nobiliores ſunt.

Neq; tamen Acquiſitæ ſunt negligẽdæ, quæ hanc vim Infuſis efficaciorem habent, quòd vitia contraria illis conatibus,

tibus, quibus parantur extrudunt, & singularem tranquillitatem cordi conciliant. Infusæ verò, quamùis ad creberrimos congressus vires præstant, vt pax bello comparetur; tamen contrarios & vetustos vitiorum habitus non expellũt.

His paulisper prælibatis, ad Actus ipsos Obedientiæ, quæ Superiores, Magistros, & præcipuè Confessarios, loco Dei ipsius, eorumque dicta, velut Diuina oracula recognoscit veniamus, qui tales sunt.

Clementissime Deus, postquam per Confessarium, vel Superiorem quemcunq;, me ad bonum dirigentem, mihi tuum beneplacitum significas, firmissimè constituo, ei quasi tibi parere.

Profectò Sapientissime Domine, quæcunq; mihi dicet Confessarius meus, quasi cælestia oracula suscipiam.

Profiteor Domine; Confessarium meum propter te veneratione dignissimum esse, ac propterea me totum illi libentissimè subdo.

Certissimum est Domine; Confessarium mihi loco Dei esse: aliam ergo Sapientiam vel eruditionem minimè requiram.

Sanè, tametsi videretur carneis oculis meis,

 vel sen-

vel ſenſualitati, Confeſſarius meus indiſcretè loqui; verba vitæ me audire putabo.

Eo certè modo, Fideliſſime Domine, quo tibi obedirem, ſi te corporeis oculis cernerem, Confeſſario meo alacriter parebo.

Abſit à me Domine, vt improbem, quod meus Confeſſarius vel Pater Spiritualis approbat.

Quòd ſi ex appetitu ſenſitiuo, arduitatem metuente, acedia ſurrepat, & difficultas enaſcatur; non credatur vllo modo timori, ſed Fidei.

Ii ergo, qui creſcere in ſpiritu deſiderant, propriæ conſcientiæ rationem Patri Spirituali ita reddent, vt nihil prorſus, ſiue proſperum, ſiue aduerſum, celare audeant: ſed cum omni veritate & ſimplicitate, abſq; vlla ſimulationis aut duplicitatis imagine, cũ eo procedant. Certoq; ſibi perſuadeant, hoc vno conſilio, ſe laqueos Diabolicos vitare, bonum omne parare poſſe. Concredant ergo ſemetipſos nauiculario vices Dei gerenti, qui ipſos tutiſſimè, veluti tot naues in media procella diriget, ne fluctibus mundi conuerberati, repentinoq; aliquo vortice correpti intereãt. Noxia erube-

erubeſcentia procul abſit, procul timor, procul humanæ rationes; tametſi quæ aperienda ſint, grauiſſimæ fuerint tentationes: tantùm enim abeſt, vt inde damna aliqua oriantur, vt Angelus Satanę, qui rei vtilitatem nouit & pertimeſcit, nihil ſubtiliùs curet, quàm Specie Virtutis, ſi timore nequeat, omnes ab hac fidelitate deterrere. Hæc quamuis in ſe ardua ſint; facillimè vincere poterunt, ſi Confeſſarium quaſi Deum ipſum intueantur. Hinc enim exorietur amor & reuerentia; hæc vt non reſiſtant, amor, vt rem celeriùs exequantur.

CAPVT XX.

De Actibus Contritionis, ſiue Pœnitentiæ.

QVamuis in capite 14. pleroſq; Actus Cõtritionis propoſuimus, quæ magnam affinitatem habet cum virtute Pœnitentię, quâ propter Deũ ſummè dilectũ peccata deteſtamur, cum propoſito non relabendi, atq; ex Iuſtitiæ debito, pro viribus Diuinæ Maieſtati ſatisfacere co-

namur; indeq; ex Diaboli mancipijs, ad lectissimorum filiorum Dei numerum euehimur: tamen quia sæpiùs frequentatum Contritionis Exercitium, illis qui aliquem in via Domini facere progressum, & in naturalis vel violentæ, repentinæq; mortis occasionibus legitimè muniri voluerint, omnino necessarium est; ideò paucas alias, ijs quæ in supradicto Capite proposuimus haud absimiles, formas huius Virtutis attexemus.

ACTVS CONTRITIONIS.

Misericordissime Deus, detestor peccata mea propter te, ac decerno potiùs interire, quàm in posterum peccare.

Clementissime Domine, iniquitatem meam, quia tibi soli peccaui, odio habeo & abominor: legem autem tuam diligere, nec vllo modo transgredi propono.

Execror Mitissime Deus peccata mea, quia tibi displicent; & vindictam de illis pro te sumere statuo.

Vtinam Benignissime Domine priùs occubuissem, quàm peccassem: potiùs moriar, quam te vel leuiter offendam.

Displicet

Displicet mihi valdè peccatum meum, Dulcissime Deus: absit vt culpam vllam deinceps admittam.

O Suauissime Deus, quis posset peccata præterita proprio cruore delere? amodò pro vniuersis mũdi bonis, ne venialem quidem culpam admittam.

Vtinam Amantissime Deus, omnes inferni cruciatus potiùs toleràssem, quàm tibi displicuissem: potiùs gloriæ fruitione priuer, quam te offendam.

Illud primò notandum est (prout etiã superiùs innuimus) oportere vnâ cum verbis prolatis, internum voluntatis motum & affectum excitare. Etsi enim quispiam millies dicat vocaliter, vel mentaliter, in modum recitantis: *Pœnitet me peccatorum Domine, quoniam ea tibi aduersantur; & propono in posterum non peccare ampliùs*: nisi interim, dum hæc verba profert, interiùs actum concipiat, & Diuinæ gratiæ cooperando peccata detestetur, ipsorumq; displicẽtiam, necnon firmam non ampliùs in ipsa recidendi voluntatem concipere satagat; detq; operam, vt ad hanc detestationem, displicentiã, & propositum emendationis, solo Do-

mini Dei ſui reſpectu & amore moueatur; vera Contritio non erit. Similiter ſi dicat: *Deteſtor Domine peccata mea propter te, &c.* niſi interiùs cor à peccatis, ſicut exteriùs oculos à venenati ſerpẽtis aſpectu auertat, non erit verus Pœnitentiæ Actus. Quod pro alijs virtutum Actibus aſſertum eſſe volumus.

Subſtantialiſſimi huius moniti ratio eſt: quia niſi eo pacto iſti Actus peragantur, non iã Contritionis erunt Actus, ſed quædam Actuum Contritionis recitatio, vel repræſentatio: ſimilis illi actioni, per quam in Comædia, vel Tragædia, Rex aliquis aut Imperator, geſtibus duntaxat aut verbis, ſine vlla perſonæ repræſentatæ ſubſiſtentia vel realitate exponitur.

Secundò notandum eſt; Veram Contritionem, non in dolore appetitus, qui ſenſu percipitur: ſed in ſeria deteſtatione culparum propter Deum, & eas cauendi determinatione ſitam eſſe.

Tertiò notandum eſt; Temperandam eſſe vehementem compunctionem, vel dolorem ſenſibilem, ne valetudo lædatur, & ſpiritus extinguatur. De-

Deniq; notandum eſt; non eſſe immorandum in Motiuis Attritionis, quando ſcilicet dolor repræſentatur ob pœnas inferni, & ipſam peccati fœditatem, quod naturaliter deforme eſt: ſed eadẽ motiua, ceu ſcalam quandam adhibenda eſſe, quibus cor ad Diuinam Maieſtatẽ attollatur; per hunc ſublimem reſpectum, quòd Deus ſit offenſus: dolorem de peccatis eliciendo, & propoſitum eadem non ampliùs admittendi firmiſſimum concipiendo.

Ad Actuum horum Exercitium, corporalis aliqua poteſt addi Pœnitentia, idq; iuxta Confeſſarij directionem, ſeu conſilium.

Hîc vnuſquiſq; per viſcera IESV Chriſti monendus eſſet, vt ſuam ſalutem non negligat, & in his Contritiònis Actibus ſit verſatiſſimus. Mũdanis curioſitatibus addiſcendis intendant & ſtudeant illi, qui ſub duro tam diri tyranni gemunt iugo, quiq; in aſperæ ſeruitutis præmium, ſempiternas in inferno luituri ſunt pœnas. At ille, qui ſuaue Chriſti iugum ferre cupit, quod æternum manet refrige-

rium & consolatio, de compunctione & lachrymis sollicitus sit, quæ omni terrena consolatione multò suauiores sunt. Velociter & citò pertransit omne, quod cruciat: perpetuum verò & perenne est, quod delectat.

Vtile est seminare in lachrymis, vt in gaudio messis fiat, vt iam olim Propheta insinuauit: *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* Ipsum Pœnitentiæ studium, quod viuam æternæ vitæ spem generat, graue ac tædiosum non sit. Figura certè mundi huius, in momento & ictu oculi pręterit, suosq; amatores infamia & opprobrio sẽpiterno plenos deseret. Christianus ergò spei finẽ respiciat, atq; seipsum ad ardua quælibet, pro regni cælestis consecutione suscipienda aggrediendaq; exstimulet. Instat & in proximo est illa hora, quæ omnibus mũdi laboribus redimenda & emenda sit; illa inquam, qua Procuratori suo Paterfamilias dicet: *Voca operarios, & redde illis mercedem.* O mercedem amplissimam: ô beatissimum paruarum & momentanearum veri Christiani ærumnarum terminum:

minum: ô vera & plena cordis humani ſatietas; ô abundantia domus Domini, & voluptatum diuinarum torrentes. Quarè in æternitatis finem, tu quicunq; ſalutem tuam ſpectas, ô fidelis, mentis oculos dirige, mundiq; leges & carnis illicia contemnens, per vitæ cæleſtis viam, quàm velociſſimè currito.

CAPVT XXI.

De Actibus Caſtitatis, & Abſtinentiæ.

ANgelicæ huius Virtutis, quæ Carnis concupiſcentiam moderatur, & illicitas voluptates excludit, mentēq; ad cæleſtia euehit, Actus ſunt eiuſmodi.

Puriſſime ac amore toto Digniſſime Deus, conſtituo ab omni oblectatione abſtinere propter te.

Caſtiſſime Fili Virginis, etſi abſq; culpa omnibus carnis voluptatibus, quas homines affectant, frui poſſem; me ab eis vigilantiſſimè continerem.

Candidiſſime Deus cordis mei, non modò carnis delectationes reſpuo, ſed imagines quoq; formoſorum corporum concipere nollem.

Amabiliſſime IESV *Chriſte, pango fœdus cum*

oculis meis, rerum corporearum elegantiam me non intuiturum.

Suauißime Decor animæ meæ, certò ſcias, me à rebus corporeis, nec tactu, nec auditu, nec aſpectu, nec alio modo (quoad mea fragilitas feret) vllam oblectationem percepturum.

Dulcißime Domine, non tantùm oblectamenta carnis reſpuam, ſed quòd ad me attinet, neq; Spiritus delectationes requiram.

De Actibus Abſtinentiæ & Sobrietatis.

Temperantißime IESV Chriſte, decerno eſca & potu eo tantum vti, vt natura ad ſeruiendum tibi conſiſtat.

Nolo Mitißime Domine, vllam in menſa voluptatem percipere, memor fellis, quod in paßione tua pro mea ſalute guſtáſti.

Abſit à me Domine, vt lauta, vel vllo modo palato ſuauia quæram. Vellem potiùs Dulcißime Deus, vt ea, quæ ſumpturus ſum, abſinthium ſaperent propter te.

Propono Amantißime Domine, cor à menſa ubtrahere, vtq; pro peccatis meis ſatisfaciam, ieiunia Eccleſiaſtica alacriter ſeruare propter te.

CAPVT

CAPVT XXII.

Actus Humilitatis, Manſuetudinis, & Patientiæ.

AD Actus externos Humilitatis, ratione quorum ij, qui huic virtuti ſe dedunt, ab alijs ſperni volunt, honorari verò erubeſcũt, pertinet; alijs obuijs caput multa cũ demiſſione aperire, loquẽtibus attẽtum auditum, & animũ facilẽ præſtare, dicentibus aliquid minimè cõtradicere, imò contradicentibus ſtatim cedere; quæ alij dicunt aut efficiunt magni facere; cùm occaſio fert, aliorum facta commendare; quæ contemptibilia videntur neutiquam ſpernere, totius corporis geſtu mitem animum, vtpotè alijs non repugnaturum exhibere, defectus ſuos aperire; quæ in ſe honorifica ſunt, vt ingenium, genus, literatura, quòad per charitatem licet occultare; quæ verò de ſe ad deſpectum dici poſſunt, v. g. de ruditate, tarditate, inertia, facilè detegere; aliaq; his ſimilia libenter acceptare.

Actus autem interni Humilitatis, tali pacto eliciendi sunt.

Mitissime IESV *Christe, profiteor coram te, me esse vniuersorum hominum vilissimum.*

Nemo est, Benignissime Domine, tam tibi ingratus & infidelis, ac ego.

Latrones ipsi & sacrilegi, ô Domine Misericordissime, perfectiùs tibi famularentur, si eos ac me, tot & tantis beneficiis affecisses.

Nihil noui, neq; amo, Clementissime Domine, nisi terram: & propterea non sum dignus aspicere cælum, nedum ingredi.

Animalia omnia pro captu suo Domine tibi appropinquant: solus ego infinita vitæ meæ turpitudine à te recedo.

Deformior certè sum Domine, ob culpas meas, omnibus leprosis & vlcerosis, qui sanie fluunt.

Profectò Piissime Deus, ego deberem in sterquilinio iacere, à cæterorum hominum conuictu sequestratus, ne illos peccatorum contagione inquinarem.

Absit à me Domine, vt velim ambulare in magnis vel mirabilibus super me.

Vtinam Æquissime Deus, vniuersi homines cognoscerent vilitatē meam, & despicerent me.

Vtinam multis ignominiis exprobrarent mihi

omnes

omnes indignitatem meam Domine, vt spernerer propter te.

Neque verò desperandum est, cùm Actus hi appetitui validè aduersantur, nec sine molestia & difficultate eliciuntur: hæc enim via militaris est, nec sine arduitatis victoria, Serenissima Humilitatis pax, & meritum preciosissimum, per tot congressiones comparatur.

Quod facillimè præstabitur, si Passio Christi recogitetur.

De Actibus Mansuetudinis.

Gradus Virtutis huius, ad quinq; præcipuè capita reducuntur. Primus est; cum qui læditur commoueri, sed iræ impetum cum mæstitia reprimere. Secundus; commoueri quidem, at sine mærore impetum compescere. Tertius; ob anteactas iræ victorias non commoueri. Quartus; ob Spirituale bonum lædentis gaudere. Vltimus; cum obliuione sui, ex proximi lædentis damno, dolorem compassionemq; concipere. Ex his oriuntur Actus externi; nempe in vultu, & totius corporis gestu, quem læsor intuetur se-

renitas; procedit quoq; respõsio mollis, quæ frangit iram; risus modestus & placidus, deprecatio culpæ, emendationis promissio, morum correctio, affabilis cum proximo irato tractatio, & multa alia. Indeq; tales actus interni proficiscuntur.

Mansuetissime I E S V *Christe, certissimè statuo, quoties læsus fuero, me amoris signa, gratia tua auxiliante exhibiturum.*

Dulcissime Domine, si pungar & importunè tenter, dono tuo læsoribus arridebo.

Suauissime Deus, absit à me, vt ob vllam iniuriam, contra amabilissimos proximos meos excandescam.

Mitissime Fili Dei, si quis me subsannauerit, lætabor super exercitia illa, sicut qui inuenit spolia multa.

Benignissime Domine, si quando vexatus à proximo fuero, obliuiscar mei, & compatiar illi propter te.

Actus hi ex animo prodire debent, tunc vel maximè, cùm aliquis experimentis multis notauit, alium quempiam contrarijs opinionibus, increpationibus, aut alijs eiusmodi actibus sibi infestum

festum esse, rixari frequenter: tunc enim sæuit indignatio contra eum, qui iniuriam irrogauit, ex qua paratur aditus ad clamorem vocibus elatum, ad tumorē mentis, cogitationibus vindictæ prægnantis, ad contumelias & verba iniuriosa. Quo in casu, veriores Actus Mansuetudinis existunt, quia passim animus exercetur. Quod frequenter sine culpa exercentis, vel ob incogitantiam, vel ob naturalem antipatham accidere solet, Deo eiusmodi certamina ad profectum subministrante.

De Actibus Patientiæ.

Patientiæ Actus, qui contra Tristitiæ passionem, ex laboribus & molestijs vitæ huius pullulantem, rationis bonum tuentur, sunt diuinæ charitatis fœtus, & quasi partus primogenitus, quo regni cælestis iura comparantur. Hi sic exercebuntur.

Patientissime IESV *Christe, quicquid laboris mihi vnquam acciderit, propter te patienter ferā.*

Mitissime Iesu Christe, si tentationes graues fortasse videantur, æquanimiter eas tolerabo.

Benignis-

Benigniſſime Domine, ſi mæror importunus ingruat, nulla ratione me deijci feram.

Amantiſſime Ieſu Chriſte, ſi morbi ſubeant, omnia tædia, dolores, & anxietates fortiter exhauriam.

Suauiſſime Deus, ſi hominum mores aduerſi, & faſtidia moleſtiſſima contingant, pacata mente conſiſtam.

Iucundiſſime Ieſu Chriſte, ſi me ſcrupulis, ariditate, diuturnaq; repulſa exerceas; libenter pœnam amplectar.

Huiuſmodi Actus in Schola Chriſti frequenter producẽdi ſunt: multis enim ex capitibus mæſtitia & acedia ſuccreſcit, cum qua virtus Patiẽtiæ bellũ gerit, ne fortè animum obruat, & quodam quaſi letargo infæliciter enecet.

CAPVT XXIII.

De Actibus Modeſtiæ, & Silentij.

MOdeſtia comprehẽdit moderationem Externorum motuum, & comitẽ habet verecundiam ſeu ruborem, qui ſuffundit faciem modeſtorum adoleſcen-

leſcentum, cùm in cætum ſeniorum ingrediuntur, vel quippiam iniunctum publicè acturi ſunt; qui certè index eſt animi benè inſtituti. À Modeſtiæ Virtute arcetur clamor, ſeu alta vocis elatio, nimia ad aliquem approximatio, manuum tactus; verborum exaggeratio, cùm quid dicendum eſt: deſpectionis vel improbationis ſigna, cùm ab alijs quid agitur vel dicitur; contradictio verborum, vel actionum importunitas; intruſio in aliorum officia, vel ad res ſibi non demandatas properatio. Ad Modeſtiam autem pertinet, alijs loco cedere; venientibus ijs, qui ſunt natu maiores, aſſurgere; capite detecto cum antiquioribus verba facere: cùm ſeniores aliquid portare volunt, obuijs vlnis ſe ad onus ſubeundum exhibere, &c. quæ profectò omnia ad alendam Charitatem, Pacem, ac cæteras virtutes mirificè conducunt. Huc ſpectat intuitus hilaris & ſimplex, ſermo ſuauis & parcus, vox tono temperata & clara; reſponſa lenia, beneuoli animi oſtenſio non affectata, facilitas ad conſentiendum alijs, laus aliorum moderata,

derata, fuga propriæ laudis, personarũ, temporum, & locorum expensio, rerum dicendarum, & modi præmeditatio, & pleraq; alia. Sed præcipuè inter omnes Modestiæ partes, ea quæ ad regendos oculos dirigitur, generale nomen Modestiæ sibi vendicauit. quòd in eis, quasi cordis indicibus, hæc potissimùm virtus eluceat, & omnes cohonestet; licentia autem oculorum plurimùm deturpet.

Virtutis huius Actus interni, hoc modo formari possunt.

Modestissime IESV *Christe, firmissimè decerno, me oculos à rebus minimè necessarijs auersurum propter te.*

Nolo Suauissime Domine, aliquid in hac mortalitate illicitum intueri.

Profectò Amantissime Deus, quamuis ex aspectu corporum formosorum immẽsam voluptatem percepturus sim, illa nolo aspicere propter te.

Absit à me Domine, vt aliquid obscænum intuear.

Quinetiam Optatissime Deus, quæ videre licet, si ad tuum honorem immediatè non conferant, subinde intueri nolo, vt te in gloria æterna videre queam. Ex animo

Ex animo delibero, Dulcißime Domine, me nunquam (quod ego animaduertam) rem aliquam, quæ à te animum diuertat, intuiturum.

Malo Domine, vt mihi oculi eruantur, quàm vel ſemel ad illicitum aſpectum illis abutar.

Auerte Deſideratißime Deus oculos meos, ne videant vanitatem.

De Actibus Silentij.

Linguæ vitium magna parit detrimẽta; ac proinde, vt contra illa per Virtutem Silentij omnes ſeſe muniant, illius Actus aliquot proferemus.

Modeſtißime IESV *Chriſte, pone cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.*

Statuo Mitißime Domine, ab omni verbo, quod neceßitas vel vtilitas non exigat abſtinere.

Si oportuerit mori propterea, quòd verba blaſphema, vel periuria proferre renuamus, non te Suauißime IESV *Chriſte negabo.*

Si exploratum mihi fuerit, verbo aliquo me commiſſurum mendacium, ſilebo.

Abſit à me Domine, vt conſcientiá renitente loquar.

Malo tecum Amabilißime Ieſu, quàm cum hominibus colloqui.

Si ad lo-

Si ad loquendum inuitatus fuero, vbi rationes humanæ, ob personæ grauitatem, vel causas alias, verba infamatoria suggesserint; rationi potiùs diuinæ, per Silentij cultum obtemperabo.

Vtinam Benignissime Deùs potiùs obmutescam, quàm vel vno verbo te offendam.

Actus hi tũc erunt efficaces, cùm oblatis occasionibus, Deo potiùs silentium interiùs inspiranti, quàm hominibus exteriùs incitantibus parebimus.

CAPVT XXIV.

De Actibus Gratitudinis, Diligentiæ, & Perseuerantiæ.

VT virtutẽ Gratitudinis, quâ quis ex accepto beneficio affectum erga benefactorem concipit, & suo tempore gratias agit, ac pro viribus retribuit, erga Deum immensa nobis momentis singulis beneficia conferentẽ exerceamus; Actus isti, vel his similes faciendi sunt.

Dulcissime Deus, habeo tibi gratiam, pro immensis, tum naturalibus, tum supernaturalibus bonis, quibus me semper cumulas.

Misericordissime Domine, quid tibi pro creatione,

tione, Conseruatione, Redemptione, Iustificatione, Præseruatione, Auxilijs, Inspirationibus reddam? Quid verò Domine pro malis, quæ non commitro rependam? cùm tot sint beneficia, quot in mundo perpetrantur peccata.

Benignissime Domine, quid pro bonis operibus, verbis, cogitationibus, te donante à me conceptis & præstitis referam? Quippe qui nihil boni cogitare possum, nisi te largiente.

Optatissime Deus, hac ipsa hora, vt commerui, flammis inferni comburerer, & beneficio tuo liberatus sum: quid ergo tibi retribuam?

Liberalissime Domine, contulisti in me ius hæreditatis æternæ, (vt spero) quid agam? qualiter non me tibi totum impendam?

Fidelissime Deus, prouidisti Sacramenta, Verbi tui pastum, consilia, solatia, & alia multa, quibus adiuuer, vt ad te citiùs commodiusq; perueniam; quid respondebo? Reddo tibi Domine cor meum, offero viscera mea, sacrifico tibi in hostiam laudis præcordia mea.

Vtinam Amabilissime Deus, vniuersa Angelorum & Sanctorum, & quotquot in toto mundo tibi placent, ac præsertim Filij tui vnigeniti, ac Matris eius Sanctissimæ corda possiderem, quæ tibi gratissimo affectu consecrarem.

Dulcißime Domine, inquantùm possum, IESVM Christum Redemptorem meum, ac Beatissimam Virginem, & omnes Angelorum Hierarchias, Beatorumq; & reliquorum iustorum animas, quas rogo mihi ad gratitudinem sociari, tibi pro beneficijs reddo.

De Actibus Diligentiæ.

DIligentia, quæ contra Acediam pugnat, includit animi studium, cum expeditione vel alacritate ad aliquid agendum; & negligentiam, omnemque languorem, & corporis remissionem excutit. Huius Actus potissimùm fouendi sunt, cùm instat tēpus [Lectionis, Studij, Orationis, Exhortationis, Cōfessionis, &c.] qui hoc modo cum fructu exercebuntur.

Amantißime Deus, decerno, me ad opera tibi grata, per totius vitæ cursum, citißime expedire.

Dulcißime Domine, dum ad Sacrum audiendum vocabor, exultabo vt gigas ad currendā viā.

Clementißime Deus, somnum, acediam, & quicquid graue mihi obstiterit, dum Concio peragitur excutiam.

Optatißi-

Optatißime Domine, ad lectionem, Exhortationem, & similes actus, omnium primus accurrere nitar, vt tibi placeam: curaboq́;, vt signo horologij dato, alijs rebus non occuper.

Benignißime Deus, in actibus spiritualibus exercendis; puta Sacri auditione, Oratione, &c. *attentißimus ero.*

Non feram Domine, vt ob calorem languor, vel ob frigus inertia præualeat.

Ero Domine vigil & alacer, ad Actus Virtutum obeundos.

De Actibus Perseuerantiæ.

Cùm totius Spiritualis ædificij fastigiū sit Perseuerantia, quâ quis firmiter statuit, vsq; in finem in bono persistere, & ingenio virili contra diuturnitatem, quâ cor hominis frangitur, cõstantissimè decertare: æquum est, omnes frequentissimis eius Actibus, cor in dies singulos ad permansionem stabilire, & contra ardua quæq; armare, vt coronam perseuerantibus promissam reportent. Hi autem Actus erunt huiusmodi

Clementißime Deus, firmißimè statuo, me vsq; ad mortem tibi famulaturum.

Fideliſsime Domine, ſi per annos mille in hac vita moleſtiſsima laborandum eſſet, à propoſito tibi ſeruiendi, teq; diligendi non deſiſterem.

Miſericordiſsime Deus, abſit à me, vt ob vllam aduerſitatem præcepta tua violem.

Potiùs Amantiſsime Domine vri me ſinam, quàm letale peccatum admittam.

Etſi oporteret, Benigniſsime DEVS, *vniuerſis mundi miſerijs obrui; nunquam de te offendendo cogitarem.*

Vtinam Deſideratiſsime Domine moriar, antequam te deſeram.

Mihi certè adhærere tibi Domine bonum eſt; propterea perenniter tibi me aſſociabo.

Donec ſupereſt halitus in me, à te non recedã.

Actus hi ſemper ſunt vtiles: ſed vbi tentationes deſæuiunt, & rationes humanæ, vel in ſpeciem virtutis fucatæ ſuccurrunt, neceſſarij ſunt. Quapropter dignum eſt, vt in pacis tranquillitate, ſe omnes ad belli tempus accingant, ne imparatos repentinus aliquis turbo proſternat. Finem laborum & coronam penſitẽt; proculdubio ad omnes aduerſitates ſuperandas armabuntur.

Pro Concluſione totius materiæ de Actibus

Actibus Virtutum, tria præcipuè ſunt puncta diligentiſſimè conſideranda.

Primum eſt; quemlibet Virtutis Actũ, qui vnius tantùm meriti ferax eſt, ſola Directione, ſeptuplò aut decuplò au-geri; itemque è contrario, vnius vitij actum, ob fines peruerſos, multiplex peccatum ſecum trahere poſſe. Quem-admodùm enim *actus v. g. furti*, ſi ad lu-xuriam quis furetur, eſt actus Luxuriæ: ſi ad faſtum, eſt actus Superbiæ: ſi ad in-gluuiem & crapulam, eſt actus Gulæ & Ebrietatis: & quot fines illicitos ſibi fur proponit, tot Species peccatorum vnus ille actus ſortitur: ſic qui v.g. SS. Eucha-riſtiã ſumit, actumq; latriæ erga illam exercet; ſi hoc facit, vt placeat Deo, eſt Actus Amoris Dei: ſi vt proſit quoq; proximis, eſt Actus Charitatis erga pro-ximos: ſi vt per hunc cultum aſſequatur beatitudinem, eſt Actus Spei: ſi vt ſa-tisfaciat Deo pro peccatis, eſt actus Pœ-nitentiæ: & quot fines honeſtos conci-pit, tot virtutum ſpecies contrahit.

Alterum eſt punctum diligenter per-pendendum; vires omnes ad eam præci-

puè virtutem, quâ caremus acquirendã, & ad vitium quod molestiùs nos infestat exterminandum, congerendas esse: exploratum quippè est, vires modicas in studia multa diuisas, nihil egregiũ præstare. Clarum itidem est; virtutẽ vnam, postquàm adoleuit, non modò cæteras omnes secum trahere, sed in ipso quoq; acquisitionis conatu, virtutes omnes pro incrementi modo connecti, & passiones contrarias subiugari posse.

Exemplo res hæc declaratur, à Mansuetudine petita.

Videt quispiam, se in multis ijsdemq; leuissimis occasionibus irâ commoueri: ac proinde Iræ Mortificatione inter omnes Passiones; Mansuetudine verò inter omnes Virtutes indigere: hocque certamen inire seriò decernit.

Spe igitur in Deo collocata, Mansuetudinis Actibus ad eam Virtutem acquirendam, & Iram domandam, creberrimè & vigilantissimè vsurum se constituit. Eo fine orat, ieiunat, Sacram Communionem frequentat, ad Perseuerantiam se præ-

se præmunit, ac deniq́ue attentè videt, vbi, quãdo, ob quas causas ira excitatur, vt eã in oblatis occasionibus reprimat.

Dum igitur hic verbis acribus & iniuriosis prouocatur; extunc Passio Iræ, quasi fera quædam indomita ex antro prodit, & malum malo rependere gestit. Interim nouus Mansuetudinis cultor, qui victoriâ potiri desiderat, rationis actum præceptúmue producere debet aiens: *Modò non est irascendum, ne ferueas.* Ecce Actum Prudentiæ proprium, qui est præcipere: quo intellectus instruitur.

Ira tamen non deferuescit, sed ad vindictam impellit; tunc ille persistet aiẽs: *Nefas est inferre vindictam:* & propterea voluntas execratur vltionem. Ecce Actus Iustitiæ (cui opponitur vltio, quæ auctoritate priuata fit) quo certè actu voluntas eruditur.

At non quiescit ira: tristatur enim Appetitus Concupiscibilis, quòd malũ hoc pati nimis graue videatur, & optat ex vindicta delectationem percipere, tristitiamq; depellere: tũc autẽ, qui rationis imperio vti vult, deq; Irâ triũphare cu-

re cupit, eligit mæſtitiam potiùs pati, quàm acriter reſpondere. Ecce Actum Temperantiæ, quia Concupiſcibilis domatur.

Vlteriùs ira ebullit; & tunc rationis dominio feruori illi obſiſtens, elicit actũ Conſtantiæ: quo eligit potiùs illi difficultati obſiſtere, quàm parùm ſuauiter cum proximo agere. Ecce Actum Fortitudinis, quo appetitus Iraſcibilis regitur. Deniq; ipſa Manſuetudine, quæ in Iraſcibili ſedet præualente, Ira ſupprimitur.

Patet ergo; Virtutes, non modò partas, ſed dum acquiruntur connecti; oppoſita verò vitia repelli, paſſioneſque domari.

Quod maius eſt; circa vnam Paſſionẽ ſuperandam, multæ virtutes poſſent cõcurrere. Qui enim pronus eſt ad Iram, & miteſcere cupit; nunc irritatur cibi cauſa, vbi propriè Abſtinentiam & Sobrietatem exercet: nunc contemptus cauſa iraſcitur, vbi Humilitatem fouet: nunc laborum pondere grauatus exardeſcit, vbi Patientiæ Virtutem ſeruat: nũc

aliqui-

aliquibus tentationũ impudicarum incursibus concutitur, vbi contra Castitatẽ sese armat: modo proximorum fastidium bilem illi mouet, vbi Charitatem colit: modo ob impedimenta viæ Spiritualis indignatur, vbi Constantiæ Actũ producit; sicq; de alijs multis.

Tertium punctum sedulò est animaduertendum; nempe ad eam, quam aliquis elegit virtutem colendam, non solùm Acquisitarum, sed etiam Infusarum Virtutum Actus concurrere. Quod sic ostenditur. Cùm enim quispiam Mansuetudini deditus, feruente circa cor sanguine, multis motibus internis agitatur; & intellectu meditatur, honestiùs esse silere, ac vultum hilarem exhibere: tunc Actus Virtutum Acquisitarum, ad finem Infusarum, ac præcipuè Theologicarum, ad primas quoq; præceptiones referre discet: taliq; pacto cum hoste congredietur. [Illata quidem iniuria est; sed Fides docet, displicere IESV Christo vltionem: ac ex eo lumine dicit intellectus per Fidem, non licere vlcisci. Spes quoq; ait; ad immensi boni acqui-

ſitionem, hac arduitate victa, ſe promo-ueri. Charitas itidem dicit; amandum eſſe proximum, etiam cùm malè agit.]

Per normam autem Acquiſitarum Virtutũ, ſic breuiter Iræ furorem ſedabit. *Ira ob iniuriam factam mentem vexat. Verùm quia Prudentia dictat, ad parandam coronam, occaſionem hanc eſſe medium opportunum, non ſuccenſebo.*

Similiter hoc modo: *Nolo iraſci; Iuſtitia enim monet, reddere vnicuiq; quod ſuum eſt.* Deus autem dicit: *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

Itemque: *Non inferam malum: humilitas enim ſuadet, animum infra alios demittendum, & nulli eſſe reſiſtendum.*

Ac tandem ſic. *Non vlciſcar iniuriam: Modeſtia enim ſuadet, non eſſe admittendam Iræ deformitatem, quæ exteriùs ſeſe prodit.*

Vel; *Non vindictæ indulgebo: Temperantia enim ait, nullam voluptatem illicitam ex aliquo vitio, ac proinde ex vltione ſumendam eſſe.*

Vel deniq; ſic. *Non iraſcar; Magnanimitas enim dicit: non ſolùm in mediocri Manſuetudinis occaſione, ſed in maximè ardua, leniter agendum eſſe.* Ecce quo pacto Virtutum

Actus

Actus cohærent: nam per omnes prædictarũ Virtutum affectus, Mansuetudo in euentu descripto exerceri, contrariaq; vitia & passiones repelli possunt.

CAPVT XXV.

De Exercitio Amoris Dei.

QVi per Spiritũ Amoris Dei à Domino ducitur; poterit singulis diebus manè hoc Exercitiũ vsurpare, & sequẽtia verba proloqui: *Quandoquidem homini proprium est, cum quadam electione amare; ego Boni omniũ melioris, imò Bonitatis ipsius percupidus, eligo te Amabilissime Fili Dei, & ex intimo corde meo pluris te, quàm aut meipsum, aut omnes simul creaturas facio. Mihi quàm charissimum est, Dulcissime Rex & Domine mi, quòd Maiestas tua sit Infinitæ Magnitudinis, Sapientiæ, Gloriæ, &c. Tibi me libens submitto, & cordis mei, quod ceu mancipium est à te emptum, vt libertate sua donaretur, tributum pendo. Hunc in finem meipsum tibi cum cogitationibus, verbis, & operibus vitæ meæ, ac præsertim huius diei, consecro & dedico: quibus aliud non specto, quàm vt placeam tibi, & legi Amoris tui satisfaciam.*

Aliud sanè commodum non quæro, quàm vt te cum omnibus creaturis amem, vtq; hoc infinita amoris perfectione faciam. Ad quem finem omnia quæ te amant, tum in cælo, tum in terra corda, necnon infinita alia, quæ tibi grata essent, possidere vellem.

Hæc Oblatio dedicatioq;, manè quidem quotidiè magno cum affectu est cõcipienda; at deinde per diem etiam frequenter repetẽda. Atq; adeò is, qui Arti amandi Deũ studet, sibi proponet, hunc esse vnicum suum thesaurum: vnde in omnibus ijs, quæ facit, loquitur, cogitat, aliò fine nõ debet moueri, quàm Amore Dei: ita vt hic præcipuus omni in re sit scopus, studium, & intuitus illius; intentionem ad hoc, pro eo ac poterit, magis magisq; purificando. Ad hoc faciẽdum, moueri poterit exẽplo artificum, pictoriam, sculptoriam, aliasq; eius generis artes exercentium, qui continuò de sua professione sũt solliciti. Ad quorum imitationẽ, verus Dei amator cogitabit, se Artis Amãdi Deũ professionem facere: ac proinde semper instrumenta in manu habebit; ipsos scilicet Amoris Actus.

Dabit autē inprimis operam, vt quicquid Amori Dei aduersatur, à se eliminet; Passiones mortificādo, externa negotia subterfugiendo, vt quietiùs amori vacet; labores quoq; tā à Deo iniūctos, quàm spontè Dei intuitu susceptos, libēter patiatur, per quos Amorem contestetur. Et hunc in finem conferent Mortificationes carnis; vti sunt ieiunia, cilicia, flagella, vsus Sacramentorum, imploratio Sanctorum. &c.

In Lectione verò Librorum Spiritualium, Prædicationibus, Exhortationibus, necnon alijs quibuscunq; occasionibus, semper ad illa potissimùm se applicabit, quæ ad Amorem Dei referuntur, ex ductu Confessarij sese gubernando; maximè in exterioribus laboribus & Exercitijs, quæ ad Amorem Diuinum comparandum suscipere voluerit.

Non modò perseueranter, verùm etiam importunè quodammodo, Dei Amorem postulabit: adeò vt die nocteq;, inter frequentes Aspirationes Eiaculatorias, Amorem Dei petat, idque magna quadam humilitate & confidentia, offe-

retq; se ad facienda & toleranda ardua, quæque, & ad impetranda omnia illa quæ ad Amorem Dei conducunt.

Modum autem cum Domino loquendi vsurpabit planè amatorium, his verbis aut similibus.

Obsecro te Dulcissime Domine Deus meus, cui viscera mea sacrifico, vt me æterna amoris tui flamma incendas. O Suauissime cæli splendor, adure cor meum ignito Charitatis incendio.

Aufer ô Amantissime Rex, & cordium humanorum expugnator fortissime cor meum, illiq́; efficacissimam pulchritudinem tuam imprime: & fac, vt omnis pulchritudo & gratia carnalis, grauis & intolerabilis, ex magno puritatis tuæ amore mihi videatur. Trahe me Charissima Vita mea post te, in funiculis Adam, & æternæ dilectionis vinculis me alliga. Da ô splendidissima lux mihi, vt omnium creaturarum obliuiscar; in hunc certè finem, vt Amori tuo infatigabiliter intendam. Inebria me, ô Amantissime viscerum meorum Sponse, amoris calice, quem pro me bibisti. Præsta ô consolatio & fortitudo mea, vt te amem, & ardētissimis desiderijs exquirā; tandemq́; gratiosissimam præsentiam tuam, quæ lætificat Ciuitatem, Hierusalē illam inquam faciem, deliciarum omni-

rum omnium paradisum, vel ad momentum conspicere possim. Ad te ô vnicum Bonum meum, cor meum ardentissimo tactum amore suspirat, qui omne eius refrigerium es; aliumq́ falsum & effrenem respuit amorem. Tu igitur, cui omnis cœli terræq́ nobilitas cedit, ne patiaris cor meum ad te creatum, thalamum & reclinatorium tuum, castissimis tuis delicijs consecratum, à profana terræ conuersatione inquinari. Non me amoris humani artificiosè & mendaciter depicti apparentia decipiat, vel à dulcissima veri & vnici Amoris tui lege auocet. Gustaui ego & vidi, quia bona est tecum negociatio: vnde omnem mundanam pulchritudinem, quæ cor meum anteà rapere & flectere solebat, ex animo detestor; teq́ solùm æterni amoris fœdere diligere concupisco: doleoq́ ex corde, quòd te non priùs in Sponsum meum elegerim. Pone ergo me, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Tibi enim soli cordis mei centrum aperio, quod suauissimum aspectum, & interiorem illapsum tuum, quàm maximè desiderat; timetq́, ne ab alio occupetur amore, & te quem vnicè amat perdat: sine quo omnis amœnitas marcescit, dies nox est, sordibus omnia inquinantur, & quædam mortis fiunt præda. O Serenissime

nissime Princeps, cuius aspectum delicatissimum vniuersa cæli & terræ nobilitas concupiscit; si quando ob incuriam meam, vel alias causas, tibi soli notas, diuturna tui repulsa & ariditate crucabor; ne me diutiùs affligas, aut ad pastum creaturarum conuerti permittas, qui sine te viuere nequeo: sed impera ventis tribulationum, & mari, vt fiat tranquillitas; & gratiam confer, vt serenitas postlimiò redeat. Tu solus es hæreditas & portio mea; tu cordis mei satietas & refrigerium; tu optatissima desideriorum & suspiriorum meorum requies; tu denique dulcissima afflictæ & laborantis animæ meæ vita. Imprime igitur, ô Domine Misericordissime, centro cordis mei imaginem tuam pulcherrimam; peruade intima medullarum mearum: & præsta, vt de spiritu, fortitudine, & calore tuo viuam, tibique me totũ sacrificem. Certè quietus non ero, quamdiù vultum tuum amœnissimum mihi subtraxeris. Exquisiuit te Suauissime Deus facies mea, faciem tuam Domine requiram.

Hoc alioue simili aspirandi modo vti poterit, qui spiritu Amoris ducitur.

Bonum verò erit, si Iaculatoriarum Orationum formulas, quas Cap: 10. posuimus, sibi familiares inprimis reddat;

quas per diē, reliquis Exercitijs & obligationibus ſtatus ſui intermiſcebit. Illud vel maximè neceſſarium eſt, vt quotidiè Orationem faciat, in qua illa Amoris incentiua meditetur, è quibus maiorem ſe fructum colligere videbit; tàm circa Humanitatem, quàm circa Diuinitatem Chriſti; prout director animæ illi conſuluerit.

Breuium autem Meditationum, & per Orationes Iaculatorias interruptarum modum, omni tempore coniungere poterit, prout ingruentes occaſiones ſuaſerint; à creaturarum perfectionibus, ad Creatoris perfectiones ſaliendo: v. g. Quando aliquid pulchrum videbit; ſtatim cor ad Deum ſuſtollendo dicet: *Tua Domine pulchritudo infinitis partibus maior eſt.* Quando nobilem aliquem cõſpiciet, dicet: *Tua Domine nobilitas infinita eſt.* Quãdo doctum & ſapientem intuebitur, dicet: *Tua Domine ſapientia, omnis ſapientiæ, quæ in creaturis inuenitur, fons eſt & principium.* Sicq; in omnibus alijs occaſionibus ſeſe geret; quia per illum diſcurſuum breuiſſimorum & interruptorum vſum,

quidam

quidam orandi modus exercetur ſatis efficax, vt per eum anima maiori erga Perfectiones Diuinas affectu moueatur, ſeque à creaturis ſeiungat; plurimaſq; affectuum repentinorum adhæſiones impediat, à quibus multi etiam viri Spirituales interturbari ſolent.

CAPVT XXVI.

Quid ante refectionem corporalem, & in ipſa faciendum?

ANte refectionem meridianam, præmittent hanc Directionem: *Domine Deus meus, corpus meum reficere paro, quò tibi meliùs ſeruiat. Effice quæſo, vt ſim in cibo & potu temperans, Maieſtatiq; tuæ hoc actu placeam. Similiter te Sanctiſsima Virgo in adiutricem inuoco, vt purè hunc actum, in quo tibi ſatisfacere deſidero, perficiam.* Hæc & alia interiùs ſufficit dicere.

Deinde ante refectionem benedicet menſam; quod etiam à ſibi ſubiectis obſeruari curabunt, præmiſſa vulgari Oratione. *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno: Aperis tu ma-*

ris tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria Patri, & Filio, &c. Pater noster. &c.

Itemq;. *Benedic Domine nos, & hæc dona, quæ de tuâ largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Post benedictionem mensæ accumbentes, non tantùm seipsos, sed etiam eos, qui mensæ assident, ad temperantiam & frugalitatem accommodare studebunt, & cum omni sobrietate se reficient. Vtinam in hoc abusus plurimi euitentur; quod fiet, si nulla in comedendo auiditatis & voracitatis signa ostendant, intemperantiamq;, & in delicatis cibis ingluuiem detestentur: mores diuitis illius Epulonis, qui quotidiè splendidè epulabatur: & dum guttā aquæ post mortem in flammis infernalibus petijsset, non illi fuit concessa. Væ epulonibus, qui mundi delicijs assuescunt; qui certè in puncto ad infernum descendentes, fame, sitique perpetuâ diuexabuntur.

Poterunt verò ij, quibus pro statu ipsorum delicati cibi afferuntur, subinde par-

de partem delicatiorem relinquere; vel etiam ferculum, quod ſibi magis arridere deprehenderint, in holocauſtum Deo, & in honorem Beatiſſimæ Virginis immolare, & voluntariè illi ſacrificare; vel etiam fellis IESV Chriſti recordari, quoties cibus inſipidus paratur, & à guſtu animum abſtrahere. Tunc enim loco voluptatum corporalium, ſpirituales illis multò ſuauiores dabuntur.

CAPVT XXVII.

Quid poſt Refectionem agendum?

FInita refectione, grates Deo debitè & deuotè pro beneficijs collatis perſoluent, hoc modo: *Agimus tibi gratias omnipotens Deus, pro vniuerſis beneficijs tuis. Qui viuis & regnas, in ſæcula ſæculorum. Amen. Laudate Dominum omnes gentes. &c.* vt ſupra, fol: 119.

℣. *Benedicam Dominum in omni tempore.*
℟. *Semper laus eius in ore meo.*
℣. *In Domino laudabitur anima mea.*
℟. *Audiant manſueti, & lætentur.*

℣. *Magnificate Dominum mecum.*
℟. *Et exaltemus nomen eius in idipsum.*
℣. *Sit nomen Domini benedictum.*
℟. *Ex hoc nunc & vsq; in sæculum.*

Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum vitam æternam. Amen. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Pater noster. &c.

Post grates peractas, poterunt de rebus, vel Spiritualibus & pijs, vel indifferentibus & iucundis, modeste & lætè colloqui, & se recreare; nullo modo præsentiæ Dei obliuiscendo. Purificabunt autem intellectū, quòd propterea se ijs occupent, vt corpus magis ad ea, quæ ad laudem Dei spectant peragenda disponatur; hancq; Directionē præmittent: *Domine Deus meus, corpus paulisper recreare volo, vt alacriùs ad laborem redeat. Vtinam subirem Martyrium pro te. Concede quæso, vt mihi hic actus prosit, quò tibi deinde maiori cum robore seruiam; cedatq; in beneplacitū & gloriam tuam. Idem à te Augustißima Cœli Regina peto: cui itidem supplico, vt mihi impetres gra-*

tres gratiam, quatenùs in hoc actu modestè agã.

Cauebunt autem seriò post refectionem sumptam, à verbis & iocis parùm honestis, detractorijs, insolentibus, hisq; similibus: quippè tunc solet natura, cibis incalescens, laxiores vitijs protendere habenas.

CAPVT XXVIII.

Quid ad vesperum vsq; præstandum?

POmeridiano tempore, solitis Exercitijs studiorum, prout superiùs dictum est incumbent, nec vllum otio relinquent locum. Dumq; eis tempus suppetet, præsertim verò diebus Dominicis & Festiuis, Vespertinas Preces audituri, Templum adibunt: nisi fortè pomeridianis horis ad Oratorium conuocentur. Ii verò, quibus opportunum erit, poterunt per vnum circiter horæ quadrantẽ, negotijs externis relictis, iuxta præscriptum Patris Spiritualis, Orationẽ Mentalem instituere. Postmodùm cœnam sument, vel collationem, pro temporum di-

rum discrimine: perficientq; ad eum modum, quem supra de Refectione Corporali agentes, præscripsimus.

CAPVT XXIX.

De Actibus ad pulsum Aue Maria *exercendis.*

SIgno dato, mox ad Deum cor eleuandum est; Infinitam Bonitatem eius considerando, qui pro remedio nostro, Sacratissimum Incarnationis mysterium instituit. Directio erit hæc: *Domine mi Infinitæ Bonitatis; cedat hic actus ad gloriam tuam. Similiter te Serenissima Regina Cælorum rogo, vt tibi placeat.*

Facta Directione, tribus vicibus *Aue Maria* cũ Antiphonis solitis dicentur. In ijsq; Altissimum illud Incarnationis Mysterium recolendum est, breuiterq; his quatuor Actibus concludendum. *Tibi gratias ago cordialiter Æterne Pater, quòd Vnigenitum tuum Filium, pro me incarnandum miseris.*

Tibi quoq; gratias ago ex intimo corde, Vnigenite Fili Dei, quòd pro me carnẽ assumpseris. Infinitas quo-

nitas quoque tibi gratias ago Sancte Spiritus, quòd vt mihi benè faceres, Beatissimam Virginem fœcundaueris. Deniq; tibi Virgo Beatissima, singulares ago gratias, quòd Filium Dei conceperis.

CAPVT XXX.

Quid ante somnum peragendum?

ANtequam lecto decumbant, præmittent: *Confiteor Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Ioanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo, Beato N. Patrono, & omnibus Sanctis, quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere; mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideò precor B. Mariã semper Virginẽ, B. Michaëlem Archangelum, B. Ioannem Baptistam, SS. Apostolos Petrũ & Paulũ, B. N. Patronum, & Omnes Sanctos, orare pro me ad Dominum Deum nostrum. Misereatur nostri omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis nostris, perducat nos ad vitam æternam. Amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis Omnipotens & misericors Dominus. Amen.*

Moxq;

Moxq; perbreue inſtituent Conſcientiæ Examen, de omnibus totius diei operibus, verbis, & cogitationibus; gratias agentes Deo, quòd illos à plurimis illius diei periculis præſeruauerit. Vnde ante omnia, poterunt hanc vel ſimilem Directionem præmittere. *Domine Deus meus, ego me ad examinandam conſcientiam diſpono. Tu igitur qui dixiſti: Accedite ad me & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur; da mihi oro te hanc gratiam, vt pro tuo beneplacito actum hunc exercere, veramq; peccatorum toto die admiſſorum cognitionem, & deteſtationem obtinere valeam. Idem à te poſtulo Virgo Beatiſſima.*

Hoc peracto, imaginabuntur ſe ante pedes Chriſti Domini poſitos; ac proinde ſe coram eo quàm maximè demittẽt. Deinde procedent ad Examen, per tria illa capita ordinaria; Cogitationum, Verborum, & Operum: quibus quartò addenda eſt omiſſio bonorum operum, vel obligationum.

Culpis verò deprehenſis, doleant ſummoperè de illis admiſſis, Contritionis actum eliciendo, qualis erit: *Domine*

Deus, ego vermiculus abiectiſſimus, peccaui in cœlum & coram te, iniquè egi, malum coram te feci; Miſerere mihi & ignoſce. Doleo Deus meus ex intimo corde, & ſummè doleo, me offendiſſe tuam Diuinam Maieſtatem: quia tu es Deus meus & omnia, quem ſuper omnia diligere & colere debui.

Poſtmodùm firmiſſimè proponant & ſtatuant, cum Dei gratia, ſe in peccatum non relapſuros, occaſioneſq; peccandi deuitaturos, & proxima occaſione confeſſuros. Eliciant quoq; actum Spei, ſe ob infinitam Dei Miſericordiam & Benignitatem, non verò ſuis meritis, veniam & ſalutem ſperare. Ac demùm Pœnitentiam aliquam, ſimilem ei quam Confeſſarius iniungere ſolet aſſument.

Tandem poterunt ſolitas Orationes dicere: v. g.

Te lucis ante terminum,
Rerum creator poſcimus;
Vt ſolitâ clementiâ,
Sis præſul ad cuſtodiam.
Procul recedant ſomnia,
Et noctium phantaſmata:
Hoſtemq; noſtrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Præſta Pater Omnipotens,
Per IESVM *Chriſtum Dominum:*
Qui tecum in perpetuum,
Regnat cum Sancto Spiritu. Amen.

In manus tuas Domine, commendo Spiritum meum: Redemiſti me Domine Deus veritatis.

Cuſtodi nos Domine, vt pùpillam oculi. Sub vmbra alarum tuarum protege nos.

Salua nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes, vt vigilemus cum Chriſto, & requieſcamus in pace.

℣. *Miſerere noſtri Domine.* ℟. *Miſerere noſtri.*
℣. *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.*
℟. *Quemadmodùm ſperauimus in te.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMVS.

VIſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longè repelle: Angeli tui Sancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Hiſq; abſolutis, ſe lecto componentes dicent: *In nomine Domini mei* IESV *Chriſti Crucifixi cubitum eo; ille me benedicat,*

regat, custodiat, & in vitam perducat æternam. Benedicat & custodiat nos Omnipotens & Misericors Dominus : Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Aue maris stella. vt supra fol : 19.

Vel si tempus habuerint, recitare poterunt Litanias Nominis IESV, quas deuotè dicentes fideles, consequuntur 300. dies Indulgentiarum.

KYrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, miserere.
Iesu Fili Dei viui, mis.
Iesu potentissime, mis.
Iesu fortissime, mis.
Iesu perfectissime, mis.
Iesu Gloriosissime, mis.
Iesu mirifice, mis.
Iesu iucundissime, mis.
Iesu charissime, mis.
Iesu clarior sole, mis.
Iesu pulchrior luna, mis.

Iesu splendidior stellis, miserere nobis.
Iesu admirabilis, mis.
Iesu delectabilis, mis.
Iesu honorabilis, mis.
Iesu humillime, mis.
Iesu pauperrime, mis.
Iesu mitissime, mis.
Iesu sapientissime, mis.
Iesu obedientissime, mis.
Iesu castissime, mis.
Iesu amator castitatis, mis.
Iesu amator pacis, mis.
Iesu amator noster, mis.
Iesu speculum vitæ, mis.
Iesu exemplar virtutum, mis.
Iesu decus morum, mis.
Iesu zelator animarum, mis.
Iesu refugium nostrum, mis.
Iesu Pater pauperum, miserere nobis.
Iesu consolatio afflictorum, mis.
Iesu thesaurus fidelium, mis.
Iesu gemma preciosa, mis.
Iesu armarium perfectionis, mis.
Iesu Bone Pastor ouium, mis.
Iesu stella maris, mis.
Iesu lux vera, mis.

Iesu Sapientia æterna, miserere nobis.
Iesu bonitas infinita, mis.
Iesu gaudium Angelorum, mis.
Iesu Rex Patriarcharum, mis.
Iesu inspirator Prophetarum, mis.
Iesu Magister Apostolorum, mis.
Iesu Doctor Euangelistarum, mis.
Iesu Fortitudo Martyrum, mis.
Iesu lumen Confessorum, mis.
Iesu Sponse Virginum, mis.
Iesu Corona Sanctorum omnium, mis.
Propitius esto, Parce nobis Iesu.
Propitius esto, Exaudi nos Iesu.
Ab omni malo, Libera nos Iesu.
Ab omni peccato, lib.
Ab ira tua, lib.
Ab insidijs diaboli, lib.
A peste, fame, & bello, lib.
A transgressione mandatorũ tuorũ, lib.
Ab incursu omnium malorum, lib.
Per Incarnationem tuam, lib.
Per Natiuitatem tuam, lib.
Per Circumcisionem tuam, lib.
Per dolores tuos, lib.
Per flagella tua, lib.
Per mortem tuam, lib.

Per Re-

Per Reſurrectionē tuā, libera nos Ieſu.
Per Aſcenſionem tuam, lib.
Per gaudia tua, lib.
Per gloriam tuam, lib.
Per dulciſſimam Virginem Matrem tuam, libera nos Ieſu.
Per interceſſionem Omnium Sanctorum tuorum, libera nos Ieſu.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Ieſu.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Ieſu.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis Ieſu.
Ieſu Chriſte audi nos.
Ieſu Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. *Pater noſter, &c.*

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

ORATIO.

DEus qui Vnigenitum Filium tuum conſtituiſti humani generis Saluatorem, & IESVM *vocari iuſſiſti: concede propitius, vt cuius San-*

ctum nomen veneramur in terris, eius quoq; aspectu perfruamur in cælis. Per eundem Dominum nostrum, &c.

CAPVT XXXI.

Quid in capiendo somno obseruandum?

CVm lecto se composuerint, signo crucis se munientes, hanc Directionem facient: *Domine mi Clementissime, qui te in durissimo Crucis lecto collocásti; ecce corpusculo meo quietem & somnum sum permissurus. Vtinã hic Actus sit ad nominis tui gloriam, vt sine corporis indulgentia somno vtar, & ad te laudãdum festinus expergiscar; omnes insidias inimici à me longè repelle, Angeli tui SS. mecũ habitent, qui me in pace custodiant, & benedictio tua sit super me semper. Idem à te Beatissima Mater Dei, arx tutissima miserorum ad te confugientiũ, quàm enixè possum peto, vt nocte hac mihi adsis, quatenùs necessario somno inculpatè, & absq; vllo animæ damno refectus, ad te honorandam euigilem.*

Etiam Angelo Custodi sequentem Orationem recitabunt. *Angele Dei, qui custos*

custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hac nocte illumina, custodi, rege, & guberna.

Consideratio, qua Spirituales viri, dum se in lecto collocant vtuntur, est: imaginari, lectum instar sepulchri esse, quod cùm figura mortis sit, ad componendum corpus, carnisq; appetitus refrenandos multùm conducit. Super omnia verò attendant, vt honestè, decenter, sanctè, castèq; decumbant, prout Beatissimæ Virginis prolem decet: illa enim ordinatè quiescentibus benedicit; quam vidit S. Dominicus, Religiosorum suorum lectos aspergentem; vni verò eorum indecenter, licet ex inaduertentia (qualiter fuit brachium extra lodicē protendere) decumbenti, benedictionis gratiam denegantem.

Nouissimè verò ad exemplum Deiparæ; cuius (iuxta D. Ambrosium) *cùm quiesceret corpus, vigilabat animus*: & iuxta D. Bernardinū; *quæ actu meritorio tendebat dormiens in Deum*: studeant cum bona & pia cogitatione somnum arripere. Multùm hoc interest, & vtinam maxima pars hominum id præstaret: sic enim pluri-

mis illuſionibus nocturnis aditus præcluderetur.

Quòd ſi fortè obdormire nequeant, ſatiùs erit aliquid pium legere, & ſe cōtra hoſtem malignū, cogitatione aliqua bona præmunire, imò etiam ſtudere, quàm feriari: eo enim potiſſimùm tempore, Dæmon vehementiùs animæ inſidiatur, & tanquam leo rugiens circuit, qualiter eam incautam deuoret. Curandum autem eſt tentatione durante, vt obſeruentur illa omnia quàm diligentiſſimè, quæ ſuperiùs circa tentationes reprimendas cap:9. annotauimus.

CAPVT XXXII.

Quæ ab Infirmis exercenda ſint?

PRima cura verſari debet circa animæ ſtatum; vt ſcilicet ægrotus, toto corde ſe cōuertat ad Deum, agnoſcatq;, immiſſum eſſe morbum, tanquam ſalutare quoddam pharmacum, contra peccata omnia præteritæ vitæ. Propterea illum patienter & libenter, tāquam do-

num Dei, non sine gratiarum actione acceptare debet. Habebit ergò curam magnā instituendæ integræ Confessionis: & cogitabit, num faciēda sit aliqua, vel famæ, vel pecuniarum, vel aliarum rerum restitutio: num inimicitias in animo foueat, & offensas omnes à proximis illatas propter Deum dimittat; num reconciliandus ei sit læsus, & id genus alia ad salutem pertinentia expendet. Confessione peractà, præparabit se ad dignè sumendum Venerabile Sacramētum; cum summa Humilitate, Fide, Spe, & Dilectione.

Secunda cura esse debet, vt si ingrauescat morbus, & periculum vitæ immineat; ordinentur maturè ea, quæ ad bonorum dispositionem spectant: si præsertim sui iuris fuerit ægrotus. Quo in genere includuntur ea, quæ ad sepulturam & exequias, imò ad pia quoq; legata pertinent, si facultates suppetant.

Tertia cura est, vt Extremæ Vnctionis Sacramento muniatur Infirmus; idq; maturo fiat consilio, priusquam in delirium, vel sensuum hebetudinem incidat.

Quarta cura adhiberi debet, vt iuuetur in ijs, quæ pertinent ad Exercitium Fidei, Spei, Charitatis, Patientiæ, Obedientiæ.

Subinde igitur recitandum illi erit Symbolum Apoſtolorum, & Fidei Proteſtatio repetenda.

Excitandus etiam erit in Spem maximam Diuinæ Miſericordiæ. Sed & inflammandus erit ad Charitatem, vt Deum ſuper omnia amet, illi ſeſe totum donet, eius Prouidētiæ ſeſe committat, ſuamq; voluntatem cum diuina conformet, corpus & animam in manus ipſius reſignet, &c. Quorum pleraq; ex Actibus Theologicis Virtutum depromenda erunt. Quocircà identidem repetet.

Amo te Domine ſuper omnia.

Spero in Bonitate tua, quòd mihi peccata dimittes.

Credo, quicquid credit Sancta Mater Eccleſia.

Doleo ex toto corde, quòd te Dominum meum offendi; & firmiſsimè propono, me nunquam tuam Diuinam Maieſtatem offenſurum.

Monendus etiam erit, vt quicquid eſt in morbo doloris vel pœnarum, generoſè, for-

ſè, fortiter, & patiēter ſuſtineat: nihilq́; per impatientiam dicat aut faciat, ne meritum Patientiæ perdat; ſed potiùs cum Gratiarum actione dolores omnes, tanquam flagellum quoddam paternum excipiat, ad præteritarum culparum ſatisfactionē, maiuſq́; gloriæ augmentum.

Nec omittat virtutem Obedientiæ exercere (in qua & cum qua inclinato capite Christus mortuus eſt) tam erga Medicos corporales, & eos qui eius curam gerunt; quàm erga Confeſſarios, quorum dictis facilè acquieſcet.

Quintò; inuigilare debet ægrotus, vt Christi Ieſu Crucifixi frequenter ſit memor: cuius effigies ſemper illi debebit eſſe propoſita. Vnde poſcet à Deo Patiētiam, & in bonis operibus Perſeuerantiam, fælicemque egreſſum ex hoc mundo, meritis Paſſionis eius implorabit. Etiam crebrò Beatam Virginem in auxilium aduocabit, ſæpè repetendo verſiculū: *Maria Mater gratiæ, &c.* Itemq́; patrocinium aliorum Sanctorum Patronorum, erga quos fuit deuotus, depoſcet; vt eum ſuis meritis & orationibus

 adiuuent.

adiuuent. Habebit item aquam Lustralem, quâ aspergatur; & Spiritualem Patrem, maximè dum vrget periculum, frequenter aduocari faciet. Indulgentias quoq;, vel Confraternitatis alicuius, vel metalli benedicti lucrari studebit, Orationibus aliorũ se commendabit, eleemosynas pro statu suo erogari mãdabit, Missarũq; sacrificia celebrari procurabit; quibus omnibus Deo supplicetur, vt ei sit propitius; & vel ipsum pristinæ restituere dignetur sanitati, si hoc ad meliùs ei seruiendum expediat: vel si ex hoc sæculo ipsum migrare oporteat, ad æternæ beatitudinis consecutionem, pro gloria sua, eum quàm optimè disponat.

Sexta cura adhiberi debet, vt remoueantur ab aspectu infirmi, in graui præsertim mortis periculo constituti, ea omnia, quæ bonam eius præparationem ad moriendum impedire possint. Spirituales quoq; viri libentissimè admittantur, qui ad iuuandum & consolandum pernecessarij iudicabuntur.

Vltimò tandem, seriò inuigilandum est Infirmo, vt tentationes, quæ eum infe-

infeſtant, pio & docto Confeſſario fideliter aperiat: vt efficacioribùs remedijs, in illo puncto & conflictu vltimo, tentationibus exagitato prouideatur: ibi enim totũ ſuum robur & vires hoſtis infernalis exerere ſolet, vt animam in barathrum Inferni, ad pœnas æternas præcipitem detrudat.

INSTITVTIONES SANctiſsimæ, *Philippo primogenito Filio, à S. Ludouico Rege ſub mortem propoſitæ.*

Charitas.

FIli mi, ante omnia diligenter in eam curam incumbe, vt diligas Deum: nemo enim poteſt eſſe saluus, niſi Deum amet.

Odium peccati.

Caue, ne vnquàm admittas peccatum mortiferum, ſed omnia potiùs ferre velis genera tormentorum, quàm aliquam talem perpetrare culpam.

Patientia.

Cùm aduerſa accidunt, feras æquo animo, & cogites te commeruiſſe, atq; ita lucrum inde tibi accedet.

Humilitas.

Cùm rebus proſperis fruèris, humiliter agas gratias

gratias Deo, ne inde animo elatus, efficiaris deterior, vnde te oportuit fieri meliorem.

Confeßio.

Crebrò confitearis peccata tua, deligasq; tibi sapientes Confessarios, qui te possint instituere & docere, quid agere, quid vitare te oporteat: & corā illis ita te cōpares, vt audeant sincerè te reprehendere, & vitia tua indicare tibi.

Precandi studium.

Officium Diuinum deuotè auscultes: facessant ibi fabulæ & nugæ, nec oculi huc atque illuc circumferantur: sed ores Deum ore, & etiam meditando corde; idq; præcipuè sub Sacrificio, post peractam Consecrationem.

Misericordia.

Animo sis pio & humano, erga pauperes & calamitosos homines, illisq; pro viribus opituleris. Si quid angat animum, id mox explices Confessario tuo, aut alicui viro bono: ita fiet, vt faciliùs id feras.

Qui adsciscendi, itemq; vitandi.

Da operam, vt quorum vteris consuetudine & familiaritate, ij sint homines probi & integri; siue religiosi illi sint, siue sæculares; & cum illis libenter misce colloquia. Porro improborum virorum commercia deuita.

Conciones, Indulgentiæ.

Sermones, qui fiunt de Deo, publicè & priuatim, lubens audias. Preces quoq; & condonationes, siue Indulgentias studiosè expetas. Amato bonum, odito malum omne.

Obtre-

Obtrectationes cauendæ.

Vbicunq; fueris, nemo audeat quicquam eiusmodi te præsente eloqui, quod alliciat ad mortiferum peccatum, aut alterius famæ deroget: nec tu vnquam de vllo malè loquaris, obtrectandi animo. Non patiaris quenquam, te audiente, peruersè de Deo aut Sanctis eius loqui, nec id sinas impunè abire.

Gratitudo.

Crebrò gratias agas Deo, pro bonis omnibus ab illo tibi collatis: vt dignus fias potioribus eius beneficijs affici & augeri.

Iustitia.

In administranda iustitia, sis rectus & seuerus. Atq; ita, vt leges præscribūt, eam exerceas erga subditos; neq; ad dexteram, neq; ad sinistrā deflectens. Pauperū quoq; accusationes nō reijcias, donec veritas innotescat. Si quis habeat aduersum te querelam aut controuersiā, semper ab illo stes contra teipsum, donec rem certam comperias. Ita enim fiet, vt consiliarij tui, fidentiùs iustam ferant sententiam.

Restitutio.

Si quid possideas rei alienæ, etiamsi id acceperis à maioribus tuis, incunctanter restituas iusto possessori, vbi certò id tibi constiterit. Sin autē dubia res est, cura, vt viri sapiētes, accuratè & sine mora inquirāt. Id enim vel maximè studere debes, vt qui sunt in ditione tua, pace & iustitiâ fruātur; maximè verò homines Religiosi, & qui in clero sunt. Parentibus tuis debes

debes amorem, reuerentiam, & obedientiam.

Ecclesiastica beneficia dignis conferenda.

Beneficia Ecclesiastica non conferas, nisi benè dignis, & qui nulla eiusmodi beneficia habeant, idq; ex consilio bonorum virorum.

Pax.

Bellum, præsertim aduersus quemlibet Christianum, sine multo consilio, vide ne suscipias. Si necessitas cogat suscipere, Ecclesias & insontes, nullo patiaris damno affici. Si qua existat, vel tibi vel subditis tuis contentio, vel bellum, quoad poteris, componere & sedare teneris. Vide vt bonos habeas Prætores & Magistratus, & de illis solerter inquiras, vti se gerant.

Reuerentia erga Romanum Pontificem.

Semper sis addictus & deuotus Romanæ Ecclesiæ, & eius Pontifici haud secùs, atq; Spirituali Patri te morigerum præbeas. Da operã, vt impensæ tuæ moderatæ sint, & rationi consentaneæ. Sub finem hortor & adiuro te, fili mi, vt si me contigerit ante te migrare ex hac vita, vt in toto Regno Franciæ, pro anima mea cures offerri Deo preces, & Missæ Sacrificia. Ad extremum, fili charissime, quicquid boni potest bonus & pius parens precari filio suo, id ego precor tibi. Sacrosancta Trinitas, & Sancti omnes seruent te ab omni malo, præstetq; tibi Deus gratiam rectè semper agendi, & ipsius faciendi voluntatem, ita vt ille per te honoretur, & nos possimus post hanc vitam, pariter

pariter esse cum illo, eumq; contemplari & laudare, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PRO MVNDI CONTEMPTV, deuoti Versus.

Si mihi sint vires, & prædia magna. Quid inde?
Auri sint species, argenti massa. Quid inde?
Si mihi sint nati de Regis stirpe. Quid inde?
Longus seruorum mihi seruiat ordo. Quid inde?
Si doceam socios in qualibet arte. Quid inde?
Et rota fortunæ me tollat ad astra. Quid inde?
Si fælix annis regnauero mille. Quid inde?
Tã citò prætereũt hæc omnia, quòd nihil inde.
Seruiat ergo Deo omnis homo; quia fit satis
inde.

ALTER INCERTI AVTHORIS RYTHMVS.

Vir bone, quid curas res viles, res perituras,
Nil profuturas, damno quandoq; futuras?
Nemo diù mansit in culmine, sed citò transit.
Est breuis atq; leuis in mundo gloria quæuis.
Qui fuit hîc imus; illic erit ordine primus.
Quid lucri referet, qui mundo totus inhæret?



Conclu-



CONCLVSIO.

HAbetis, Iuuenes Nobilissimi, quæ vestram sequacem ad omnia ætatem, tot periculis quibus iuuentus circumsidetur vindicatam, patriæ Ecclesiæq; florentem conseruent. Certè si hæc ipsa ætas, cui sine prolapsione insistere possit nemo, alienis consilijs, & supernis auxilijs non muniatur; vix possibile erit, cùm tot cupiditatibus quasi fluctibus impellatur, ne in scopulos impingat, atq; miserabili naufragio, beatâ vt ne excidat immortalitate. Eam Philosophus optimam dixit institutionem, si quispiam à tenero vngui, inter rudes illos & ad omnia flexiles annos consuescat; vt ob res honestas lætitiâ efferatur: si autem quippiam indecens contingat, dolore pœnas à se exigat posthabitæ honestatis. Hîc speculum ad vtrumq; præstandum vobis offertur, modò in mercaturâ hac Pietatis, occasione opportunâ vti ve-




litis. Agite igitur agite, cor ad superna erigite, bonas vestras literas, imò & actiones singulas, ad normam Exercitiorum istorum, cum fæcundo meritorum fructu componite, soliq; Deo, & Deiparæ Sanctissimæ, in cunctis operibus placere studete.

FINIS.

Ad maiorem Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ, Carmelitarum Patronæ, gloriam & honorem. Amen.



INDEX



INDEX CAPITVM.


CAP:



Via Errantium

Dum Stygiis rediit dominus vi-
ctor ab undis
Quaeritur ubi fuerit sitque minister
ait
Ipse sed [illegible] ibat rediuiuus
ad oras
Ergo Nicolaus surgit [illegible]

[illegible] y Przelomskie [illegible] Jom
ianiczy napisanie [illegible] czyniąc wrad
tym scriptem [illegible]
A [illegible] do [illegible]





Apud me oratio Deo vitæ meæ : dicam Deo, Susceptor meus es.
Quare oblitus es mei ? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus ?
Dum confringuntur ossa mea : exprobrauerunt mihi, qui tribulant me, inimici mei.
Dum dicunt mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus ? quare tristis es anima mea, & quare conturbas me ?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, & Deus meus.
Antiphona in Septuagesima. Sana Domine animam meam : quia peccaui tibi.
Antiphona. Eructauit. Psalmus 43.
DEus auribus nostris audiuimus : patres nostri annunciauerunt nobis.
Opus, quod operatus es in diebus eorum : & in diebus antiquis.
Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos : afflixisti populos, & expulisti eos.
Nec enim in gladio suo possederunt terram : & brachium eorum non saluauit eos.
Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui : quoniam complacuisti in eis.
Tu es ipse Rex meus, & Deus meus: qui mandas salutes Iacob.
In te inimicos nostros ventilabimus cornu : & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.
Non enim in arcu meo sperabo : & gladius meus non saluabit me.

Saluasti enim nos de affligentibus nos : & odientes nos confudisti.
In Deo laudabimur tota die:& in nomine tuo confitebimur in sæculum.
Nunc autem repulisti,& confudisti nos : & non egredieris Deus in virtutibus nostris.
Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderunt nos, diripiebant sibi.
Dedisti nos tamquam oues escarum : & in Gentibus dispersisti nos.
Vendidisti populum tuum sine pretio : & non fuit multitudo in commutationibus eorum.
Posuisti nos opprobrium vicinis nostris: subsannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.
Posuisti nos in similitudinem Gentibus: commotionem capitis in populis.
Tota die verecundia mea contra me est: & confusio faciei meæ cooperuit me.
A voce exprobrantis, & obloquentis : à facie inimici, & persequentis.
Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te : & iniquè non egimus in testamento tuo.
Et non recessit retrò cor nostrum : & declinasti semitas nostras à via tua.
Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis ; & cooperuit nos vmbra mortis.
Si obliti sumus nomen Dei nostri : & si expandimus manus nostras ad Deum alienum.
Nonne Deus requiret ista ? ipse enim nouit abscondita cordis.
Quoniam propter te mortificamur tota die :